

05

A

954



DISPUTATIO
SOLENNIS
DE
BAPTISMO

contra
Calvinianos,
PRÆSIDE

Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo atq; Excellentissimo
DN. JOHANNES MEISNERO,
SS. Theol. D. & in Acad. VVittenb. Prof. Publ. Con-
sist. Eccles. Assess. Venerandæ Facultatis Theologiæ
Seniore Templi ad Arcem Electoralem Præposito
gravissimo,

Domino, Præceptore, Patrono ac Promotore honoratissimo,
etatem suspiciendo,

Pro Consequenda **LICENTIA**
assumendi gradum **DOCTORIS**
in Theologia,

Ad disputandum proposita

à
M. JACOBO VVÆCHTLERO, Grimm-Misnico,
Ecclesiæ Gomeranæ **PASTORE** & vicinarum Superin-
tendente.

HABEBITUR

Ad diem 18. Decembr. horis matutinis & vespertinis

WITTENBERGÆ,

Ex Officinâ **CHRISTIANI SCHRÖDTERI.**

Anno cl^o l^oc **LXXIX.**

DISPUTATIO
SOLENNIS
DE

BAPTISMO

CORUM

Calvinianorum

PRÆSIDE

Summi Reverendi Magnifico Imperatoris ac Electoris

DN. JOHANNI MESSNERO

SS. Theol. D. & in Acad. sup. Publ. Con-

sult. Theol. Acad. Vicedominus Facultatis Theologiae

Seniore Tempore Professori Ordinario



Doctoris, Praeceptoris, Pa-

tricularum Professoris

Pro Compensanda LICENTIA

ad Theologiam DOCTORIS

in Theologia

Ad disputandum proposita

M. JACOBO VVECHTLERO, Grimmae

Eccl. Gomeranae PASTORE & vicarium superin-

tendentem

HABENTIA


Ab die 18. Decembris. data manibus & sigillis

W. TAVBERG

Ex Officina CHRISTIANI SCHRODTERI

Anno aet. 1771





PROŒMIUM.

INter Sacramenta N. T. primum est Baptismus, ab initio Ecclesie, & cum ipso Johannis ministerio à Christo Domino institutus, deinde illustri patefactione, cum ipse Servator eum suscipere, ornatus & sanctificatus, qui etiam Apostolis suis, cum post resurrectionem suam ad disseminandum toto orbe, quàm latè patet, Evangelium emitteret, ut hominibus omnibus, qui doceri & baptisari possent, administrarent, seriò injunxit, Nec illi tanto muneri defuerunt, sed quoquò iverunt, hoc sacrum & solenne, frequentarunt, & gentes omnes aspersâ aquâ in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti abluerunt. Quod etiam omnes eorum successores observare oportet, usque ad extremum diem, ubi translati in patriam nec Sacramentis, nec prædicatione Verbi amplius opus habebimus, cum Deus futurus sit omnia in omnibus, & nobis ea beneficia utenda fruenda plenariè exhibiturus, quæ nunc in tanta rerum omnium imperfectione, cum ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, speramus & expectamus. Cumque magna ejus suscipiendi necessitas sit, cum gemina utilitate conjuncta, ideo ab antiquis Ecclesie Doctoribus, ipsoque B. Luthero janua paradisi, porta gratiæ, & puerpera regni cœlorum ex re & vero appellatur, quippe, quo ex aqua & spiritu regnimur, & ad regni cœlestis consortium, cœtumque fidelium admittimur, denique novum & consolationis ac pietatis plenissimum nomen à Christo Domino & magistro nostro adipiscimur, uti hæc & plura alia Cyrill. Hier. præf. Catech. copiosè explicat.

Cæterùm multa sunt, quæ de hoc tanto mysterio in Scholis tradi consueverunt, & addiscenda atque religiosè observanda iis

A

sunt,

sunt, qui eo rectè uti volunt, quæ omnia tamen impræsentiarum
repetere nec libet, nec vacat, sed ea tantum excutere placet, quæ
Reformati in Catechismo suo Palatino perperam tradunt, in quo
tamen pleraque *Φορητὰ ἀνέσχυατα* sua levi pede transiliunt, re-
liqua ne tangunt quidem, ut ordine videbimus. Interim tamen
totam doctrinam de Baptismo ab ovo repetemus, & ubi illi à no-
bis & ipsa rei veritate divortium faciant, demonstrabimus.

SECTION I.

De

Definitione Baptismi.

i. Si quis doctrinam de Baptismo intelligere, aut aliis rectè
tradere velit, eum ante omnia naturam & essentiam ejus per defi-
nitionem explicare oportet. Nam *ὁρισμὸς τῆς ἰσίας ποιεῖ-
μὸς ἔστι*, ait Philosophus lib. ii. post. Analyt. cap. xxx. Definitio
fundamentum est, cui reliqua omnia inædificantur. Quippe in-
de intelligitur, quid Baptismus sit, quæ ejus causæ, qui effectus ex
Dei intentione & ordinatione inde expectandus. Quare aut in
fronte tractationis definitio ponenda est, aut demum pertractatâ
disputatione inde colligenda & tractationi subjungenda.

ii. Id præceptum Philosophi, cui sana ratio adstipulatur,
Calviniani non observant, hoc est, nullam definitionem hujus tanti
Sacramenti afferunt. Nam nec in Confessione Helvetica, Galli-
cana, Anglicana, Scotiana, Dordrechtana, Czengerina, Sendo-
miriensi, aut quatuor Civitatum, nec in Catechismo Palatino, aut
Synopsisi Leydensium ulla uspiam comparet, aut si omninò aliquam
adhibent, ita plerumque adornare solent, ut errores, quos animo
fovent, subinde admisceant.

iii. Quod jamdudum Bellarmino observatum est, qui ad-
ducta Calvinii definitione ex lib. iv. Instit. cap. xv. §. i. *Baptis-
mus est signum initiationis, quo in Ecclesie cooptamur societatem,
ut Christo insiti inter filios DEI censeamur*, ita lib. i. de Bapt. cap. i.
in eam commentatur: *Hæc definitio multa habet vitia. Nam neq̄
est essentialis, cum non attingat ullam partem essentia Baptismi,
neq̄ explicat effectum seu finem principalem hujus sacramenti. Nam*
finis

finis principalis secundum Catholicos, imò secundum scripturas est
 justificare & regenerare: Secundum Calvinum (ut ibidem ipse sub-
 jungit) est alere fidem more diplomatis signati, qui certè finis in ea
 definitione non explicatur, sed solum finis quidam secundarius, qui
 est, testari fidelitatem, quam DEO, & Ecclesie debemus, & sic a-
 gnosci & numerari inter filios DEI. Adde, quod ista definitio con-
 venit etiam Circumcisioni. Nam Circumcisio erat signum initiatio-
 nis, quo Judæi cooptabantur in Ecclesie societatem & Christo inse-
 rebantur. --- Eadem etiam definitio Verbo DEI prædicato con-
 venire videtur, nam etiam per Verbum DEI initiamur, & coopta-
 mur in Ecclesiam, & Christo inserimur.

IV. Longè plura autem vitia in hac definitione deprehen-
 duntur, quàm Bellarm. observavit: nam nec genus proximum &
 adæquatum, nec causa efficiens, nec partes ejus essentielles, mate-
 ria & forma, ei negotio apta & conveniens, denique nullus effectus
 & finis, nisi quem significando repræsentat, exprimitur. Neque
 enim admittit infantes in Baptismo, & per eundem primùm in filios
 DEI adoptari & regenerari, sed id tantùm, quod Deus vel ante,
 vel post Baptismum, vel eo etiam non administrato, nec conferen-
 do unquam, intrinsecus virtute Spiritus sancti & sanguinis Christi o-
 peratur, significari, obsignari & confirmari contendit. Denique
 infantes fidelium, antequam baptizentur, imò in ipso matris ute-
 ro, ex fœderis formula, adoptatos & in fœdus gratiæ receptos esse,
 tradit. Quod ex illo ipso capite Calvini, quod adducitur, Sect.
 I. discitur, ubi cum de dicto Petri, *Baptisma nos salvos facit*,
 disputat, ita loquitur: *Non significare voluit ille ablutionem & sa-
 lutem nostram aqua perfici, aut aquam purgandi, regenerandi, re-
 novandi virtutem in se continere: neque hinc salutis causam, sed
 duntaxat talium donorum cognitionem & certitudinem in hoc Sa-
 cramento percipi, quod verbis ipsis satis evidenter explicatur. Et
 paucis interjectis: Non aliam nobis purificationem Baptismus polli-
 cetur, quàm per aspersionem sanguinis Christi, qui per aquam pro-
 pter mundandi, abluendiq; similitudinem figuratur. Quis ergò nos
 aqua ista mundari dicat, quæ certò testatur, Christi sanguinem ve-
 rum esse atq; unicum nostrum lavacrum?* Et Sect. xx. *Infantes no-*

stros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronunciat DEUS, quum se nobis in Deum fore promittit, seminiq; nostro post nos. Hoc verbo continetur eorum salus. Et rursus Sect. XXII. Unde sequitur, non ideò baptisari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius signo ideò recipi in Ecclesiam, qua promissionis beneficio jam ante ad Christi corpus pertinebant. Calvinus igitur, ut patet, nullam vim Baptismo, gratiam & adoptionem infantibus actu conferendi, sed eam tantum, quam ante habebant, obsignandi & confirmandi transcribit,

v. Calvinum P. Martyr sequitur, ejusque sententiam haud malè exprimit, dum in Locis *parvulos baptizari ait, non ut primum adoptentur, regenerentur & Christo inserantur, sed significationis, cognitionis, inaugurationis & obsignationis ergò. Cumque S. Augustinus infantes ab ipso vitæ exordio sub peccato & potestate Diaboli, scripturâ præeunte, detineri, atque eum in finem exorcisandi ritum adhiberi statueret, ut eos per Baptismum ex potestate tenebrarum liberari, Satanæ faucibus eripi, & hæredes ac filios Dei per Christum constitui significaret, lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. xxxiv. ille class. iv. Loc. Com. cap. ix. n. 14. in hoc dogmate graviter hallucinatum Augustinum pronunciat, quod nimium baptismo tribuerit. Non enim agnoscit, inquit, illum esse regenerationis externum symbolum, sed ipsa tingendi actione vult nos regenerari & adoptari, atq; in familiam Christi transire. Quasi ante illam horam tinctionis ad familiam Diaboli pertineamus, atq; toti ab eo pervadamur.*

vi. Ecquis jam ab ejusmodi docendi magistris ullam vim, gratiam & adoptionem in filios Dei reapse conferendi & efficiendi Baptismo convenientem expectabit? qui vix significandi & collatam jam more diplomatis signati alendi & confirmandi concedunt. Ecquis id, quod Bell. in Calvini definitione vituperat, jure meritoque reprehendat?

vii. Sed Chamier tamen eam excusat, dum ad singula Bellarmini capita, vel, ut ille putat, injustas reprehensiones ad hunc modum respondet: *Est falsum, omitti quicquam essentielle. Nam justificationem & regenerationem tum insitio in Christum, tum*
census

census in filiis DEI non potest non significare. Convenire Circumcisioni concesserim libens. Nam verum est, ejusdem rei utrumq; esse Sacramentum: distinctio autem in eo est, quod indicetur usus praesens, per cooptamur, censemur, quae dici non possunt de Circumcisione jam olim antiquata. Convenire autem verbo praedicato falsum: nam etsi verum sit, per ipsum nos inseri Christo, cooptariq; in Ecclesiam, tamen falsum initiari, nisi quatenus formam constituit Baptismi. Haec Chamierus, qui errores erroribus auget accessione non mediocri, & tandem tamen in eas angustias compellitur, ut fateatur, Calvinum non professum esse exactam definitionem, & accuratam ad praescriptum logicum, sed notificationem tantum, sive descriptionem, quae satis esse potuerit suo instituto. Quem etiam exemplo Thomae & plurimorum Scholasticorum, & ex recentioribus Eckii, Suarezii, aliorum tuetur. Atque haec de Calvinii definitione.

VIII. Sed & aliorum, non melioris tamen notae, videamus. Inter quas eminent illa Wendelini, quam nobis lib. i. Syst. Maj. cap. xxii. thes. iv. exhibet, & ita habet: *Baptismus est prius Novi Testamenti Sacramentum, quo, qui in foedere DEI sunt, a ministro Ecclesiae, secundum institutionem Christi, in nomine DEI Patris Filij & Spiritus sancti aqua consperguntur & abluuntur, ad internam animae a peccatis abluionem, quae Spiritus sancti operatione propter solum Christi sanguinem contingit, nec non cum Christo communionem & in Ecclesiam receptionem significandam, obsignandam & confirmandam.* Adeundem ferme modum Ursinus, Piscator, Keckerm. Bucan. Polanus, Scharpius, & ceteri, verbis parum immutatis, Baptismum definiunt, sed si quis paulo accuratius attendat, errores ac fraudes, quibus utuntur, facile deprehendet, quod paucis ostendere placet.

IX. Ac primo quidem *Sacramentum* vocant, quod genus tamen valde remotum est, quod cum differentia specifica conjunctum ineptam definitionem efficit, ut Mendoza Disp. x. Log. Sect. ii. n. 5. docet, *ut si quis dicat, hominem esse substantiam rationalem, quia inter illud genus & differentiam clauduntur multae quidditativa praedicata, quibus ignoratis, ignoratur simpliciter ho-*

mo, ea essentialiter includens. Quia tamen Fonseca lib. v. Inst. it. cap. xi. eas aliquo modo tolerari posse censet, etsi vitii aliquid secum trahant, nec usque adeo omnibus numeris perfectæ sint, etiam nos hac in parte aliquid condonabimus. Quanquam nec Calviniani omnes hac in parte inter se conveniant, dum alii Cere- moniam, alii cum Catech. Pal. si Ursino credimus, externum aquæ lavacrum, plerique verò signum & sigillum vocant.

x. Deinde eos tantum baptizandos esse ait, qui sunt in fœ- dere DEI, hoc est, qui hæreditario jure secundum promissionis for- mulam, jam à matris utero in fœdere Dei continentur, & à Deo in filios adoptati sunt, antequam baptizantur, imò & antequam dias in luminis auras prodeant. Hos enim cum à sanctis parentibus originem trahant, & semen benedictum ac divinitus electi sint, nascendo Christo inseri, Beza ait inqvæst. ac resp. de Sacram. Et Calvin. lib. iv. Instit. cap. xvi. num. 24. fidelium parentum infan- tes ad fœdus DEI & baptismi gratiam consequendam ita pertinere ait, ut hæreditario jure secundum promissionis formulam, qua se non ipsorum tantum, sed & seminis eorum Deum & patrem fore pollicitus est, jam à matris utero in fœdere contineantur, & Deus eos filiorum loco habeat. Ipse quoque Wendelinus lib. i. Syst. cap. x. thes. xii. num. vii. ubi Apostoli locum i. Cor. vii. 14. li- beri vestri sancti sunt, adducit & explicat: Sanctitas illa, de qua Paulus loquitur, non est conformitas cum lege divina habituali, sed externa tantum, relativa, civilis & fœderalis, qua fœderati cen- sentur & cives Ecclesiæ, qui ex fœderatis & civibus nascuntur, adeo- que ad communium civium jura & sacra admittuntur. Unde con- cludit, liberos fidelium ab ipso ortu fœderatos insuperq; sanctos esse deprædicandos, etsi originis peccato inquinati sint. Ubi quidem, verbis de externa sanctitate loquitur, internam tamen, qua liberi in fœdus DEI recipiantur, & in filios adoptentur, etiam antequam baptismi participes reddi potuerint, intelligit, intelligere certè de- bet, nisi Calvino & Bezæ aliisque sociis palam contradicere, & hy- pothesin suam de absolutâ electione missam facere velit. Talis e- nim ipsis dictitantibus, est infantum, quos pii parentes generant, sanctitas, qualis ex electione & fœdere Dei æterno fluit.

xi. *Tertiò* nec illud prætermittendum est, quod ex communi Calvinistarum doctrinâ duplicem Baptismum, gemellos item dispensatores, & totidem actiones invicem distinctas ac prorsus diversas, duplicia item subjecta, objecta, & geminos denique fines & effectus, singulis peculiare & proprios, confingit. Et duplicem quidem Baptismum, efficiente, materia, forma & effectu distinctum omnes constituunt, quorum unum vocant externum, qui ab Ecclesiæ ministro, aspergendo aquam corpori, administratur: alterum internum, qui à Spiritu sancto per sanguinem Christi in anima perficiatur. Unde etiam diversi dispensatores, nimirum Spiritus Sanctus & Ecclesiæ minister agunt, & quidem non tantum distinctâ actione, sed etiam in diversa subjecta, dum Spiritus Sanctus abluat animam ab inquinamentis peccatorum, minister verò sordes corporis, quâ actione id, quod Spiritus Sanctus intus & in anima perficit, significetur & representetur, idque per diversa media: minister per solam aquam, Spiritus Sanctus verò per sanguinem Christi, & in diversa hominum genera, ex quibus aliqui sint absolute electi, quibus solus verus, isque internus Baptismus, & regeneratio, peccatorum remissio atque gratia DEI exhibeatur: cæteris autem ex absoluto DEI beneplacito rejectis & reprobatis, nil nisi baptismum aquæ externum conferri; regeneratio autem tantum abesse, ut per baptismum exhibeatur, ut ne significetur quidem. Denique disparem utrique operationem & efficaciam transcribunt, interno quidem à solo Spiritu Sancto administrato abluitionem à peccatis, sanguine Christi partem & applicandam: externo verò, qui solius ministri sit, sordium corporis expurgationem, quæ internam abluitionem significet atque confirmet, non quidem eam, quæ per baptismum præsentis tempore offertur & communicatur, sed quæ vel ante exhibita sit, vel postea communicabitur, quodcumque DEO visum fuerit: Spiritum sanctum enim flere quodcumque, & ubicumque voluerit. Quæ omnia istis verbis, *quo, qui in fœdere DEI sunt, à ministro Ecclesiæ aqua consperguntur & abluuntur, ad internam animæ à peccatis abluitionem, quæ Spiritus sancti operatione*

tione propter solum Christi sanguinem contingit, significandam, continentur.

XII. Quam falsa autem & Scripturæ sacræ adversa ea sint, nihil opus est nunc pluribus ostendere. Id ad demonstrandam falsitatem sufficiat, quòd, cum Scriptura unicum tantum baptismum, sicut unam fidem, unum Deum & patrem omnium, admittat, illi omnia geminata atque duplicata esse velint, baptismum externum & internum, actionem externam & internam, subjectum & effectum ejusdem generis, imprimis verò gemellos dispensatores, tempore, loco, modo & actione, cæterisque rebus ad baptismum necessariis, distinctos, sibi que oppositos. Qui tamen id nosse debebant, ministrum non tantum aquam affundere, sed totum baptismum, qui aqua & Spiritu sancto constat, administrare. Et quanquam Deus quoque cum ministro concurrat, id tamen facit tanquam causa principalis, minister verò ut instrumentalis, quæ duo sibi non opponenda sunt, sed invicem subordinantur. Sed nec duplex, verum una eademque est actio causæ principalis & instrumentalis, & actio ministri ex natura baptismi & DEI intentione æquè ad animam pertingere debet, atque actio Spiritus sancti, nec unquam quisquam externa baptismi actione abluitur, quin idem ejusdem effectum in anima sentiat, etsi id hominum malitia quandoque impediatur. Et si omninò tandem duplicem & distinctam utriusque actionem concedamus, utraque tamen ad eundem baptismi effectum, qui est regeneratio & renovatio hominis, concurrat.

XIII. Nullam verò aliam ob causam pro duplici illo baptismo tantoperè decertant, quam ut *cor Ecclesiæ suæ, & palladium gratiæ DEI absolute*, de absoluto & peremptorio electionis ac reprobationis decreto sartum tectumque retineant; huic enim ut cætera omnia, ita hoc quoque dogma inædificant, dum statuunt, Deum æterno & immutabili decreto sibi proposuisse ex toto genere humano sine ullo fidei aut incredulitatis intuitu aliquos, & quidem minimam eorum partem ad salutem eligere, multò maximam verò ad æternum exitium destinare, & illis quidem certa media, eaque sufficientia & efficacia, quibus

quibus infallibiliter ad finem sibi destinatum perducerentur, benignè indulgere velle: ceteris verò, quos ab omni spe salutis absolute rejecit, nec ulla omnino media impertiri, aut, si quædam exhibeat, cassâ & inania, certè minus salutifera administrare. Unde illis tantùm, qui ad æternam salutem electi sunt, baptismum internum & salutarem administrari contendunt, reliquis autem, qui eorum numero non continentur, sed ab omni aditu ad vitam æternam exclusi sunt, baptismum externum, qui sine ulla salutari efficacia sit, exhiberi. Quod Zanchius T. III. Miscell. p. 433. ingenuè fatetur, ubi duas has de prædestinatione conclusiones conficit & approbat: I. *Illis, qui non sunt electi, nihil prodesse baptismum, neque orationes ab Ecclesia pro ipsis factas, ideòque nec benedictionem, quam Christus Ecclesie sue impetravit, impetrari posse.* II. *Etsi ignoremus, qui sint electi, & qui non, posse nos tamen piè & rectè, imò & debere secundum Christi institutionem pro omnibus orare, & infantes omnes baptizandos curare.* Cum itaq; nec nostra, nec aliorum electio aut reprobatio ulli hominum certò cognita sit, tam ministrum, quàm baptizatum semper dubium hæere oportet, utrum ille baptismum salutarem & efficacem administraverit, hic verò suscepit, aut certe cum conditione exhibendus est, quod ministri Argentinenses olim in Confessione sua Anno M.D. XXX. X. cui Bucerus, Capito, Hedio & reliqui nomina sua subscripserunt, apud eundem Zanchium, faciendum esse censuerunt, artic. XVIII. qui concionatores suos monitos voluerunt, ut neminem baptizarent, nisi hac conditione adhibita & inclusa, *secundum tuam electionem, & propositum divinæ voluntatis tuæ.* Unde Ecclesiæ ministrum ita pronunciare oportet: Ego, optime DEUS, hunc baptizo secundum tuam electionem & propositum voluntatis divinæ. Vel, si alloquitur baptizandum: Ego TE baptizo secundum electionem & propositum voluntatis divinæ. Si electus es, ministro tibi verum, internum & salutarem baptismum: si reprobus, qualemcunque demum acceperis, nihil tibi proderit. Sic verè dato uno abiurdo multa plura consequi solent.

XIV. Quarto non minus erratum hoc est, quod nec aquæ, nec ministro ullam vim aut actionem spirituales, sed omnia unice

B

& in

& in solidum Spiritui Sancto transcribat. Quamquam a. nos quoque aquæ lavacro nihil, quod principi causæ, soli DEO, convenit, tribuamus, nec aquæ elemento per se tantam efficaciam simpliciter acceptam feramus; Sed omnem baptismi virtutem, totamque efficaciam divina institutione niti, & ab ea pendere contendamus, interim tamen ministrum ipsum & externam ministri actionem, quæ asperzione aquæ & invocatione trium personarum divinitatis constat, organon esse dicimus, idque efficacissimum, quo mediante Spiritus Sanctus internum regenerationis & renovationis opus in baptizatis efficaciter peragit. Quare DEUS quidem baptizat, sed per ministrum, & Spiritus Sanctus homines regenerat, sed mediante baptismo, sicut etiam idem Spiritus Sanctus loquitur hominibus, sed per Apostolos eorumque successores Matth. x. 20.

xv. Quinto fines secundarios cum primariis confundit. hos enim affirmamus esse regenerationem ac renovationem hominum, quos Paulus Apostolus illi tribuit, cum Tit. iii. 5. ait: *Ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Communio autem nostri cum Christo & in Ecclesiam receptio ad fines secundarios rectissime referuntur.

xvi. Sexto denique baptismo nullum alium effectum, quam significationem, obsignationem & confirmationem tribuit, non exhibitionem, oblationem & efficientiam. Eundem finem Wendelin. quoque Syst: maj. cap. xxii. thes. xiv, Baptismo assignat, sed cap. xx. thes. ix. ad formam sacramentorum refert, & significationem esse ait; *quæ per signa visibilia representantur res signatæ, quæ non videntur, sed creduntur*; Obsignationem vero, *quæ non tantum veritas similitudinis inter signa & res signatas confirmatur, sed & efficacia conjunctionis in legitimo usu obsignatur.* Præbitionem denique, seu confirmationem, *quæ velut in Verbo, nobis apprehendendus offertur thesaurus cælestis & revera spiritualiter præbetur id, quod signis figuratur.* Quibus verbis manifestò ostendit, se nullum aliud officium, nullum alium effectum Sacramentis, ipsique adeo Baptismo adjudicare, nisi significationem, unde Sacramenta in genere per signum definit. Et quamquam his obsignationem & confirmationem addat; quia tamen cum Calvino & sociis aliis statuit, materiam cœlestem

coelestem à Sacramentis in his terris celebratis tanto spatio abesse, quanto abest coelū supremum ab inferioribus terræ partibus, ideoq; Baptismus eandem nec præbere aut obsignare, nec confirmare potest; obsignatur enim res jam collata, non demum conferenda, aut longissimè absens. Quæ ergo exhibita verè non est, nec obsignari, nec confirmari potest.

xvii. Equidem Joh. Crocius Comm in Aug. Conf. Wendelin. Alting. & plures alii calumniam vocant, à degeneribus Lutheri discipulis excogitatam, cum dicimus, eos nullum alium nisi significandæ finem baptismo tribuere, cum etiam exhibendi & præbendi gratiam addant. Interim tamen Alting. Exeg. in Aug. Conf. art. ix. 34. mox addit, offerri per baptismum *modo ac mysterio sacramentali*, hoc est, ut ipsi interpretantur, *significativo*. Quo pacto omnia Scripturæ dicta, quæ de baptismo agunt, falsa erunt: ut cum dicitur, *DEUS salvos nos facit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*, Tit. ii, 5. *Baptismus salvos nos reddit*, 1. Pet. 3. 21. *Ex baptismo regnimur*, Joh. iii. 5. *Baptizando abluimur à peccatis*, Act xxii. 16. *Baptismus est fons in ablutionem peccatorum*, Zach. xiii. 1. *Baptismus est interrogatio bonæ conscientie erga DEUM*, 1. Pet. iii. 21. Aut verò *significativè tantum intelligenda & explicanda fuerint*, ut baptismus non sit, sed significet tantum lavacrum regenerationis & renovationis, nec conferat fidem, gratiam DEi & remissionem peccatorum, sed significet tantum, aut per alia media, aliove tempore collatam obsignet atq; confirmet, nec faciat, sed significet tantum Christianum.

xviii. Tot igitur & tantis erroribus definitio Wendelini scattet. Quod ne ipse quidem negare audeat, sed in eo potius sibi gratulatur & triumphat, quod Lutheranorum errores in illa redarguerit, Exerc. lxxxiv. §. i. quales ipso teste sint, 1. *In baptismo omnibus infundi fidem*, 2. *Ante Baptismum omnes esse filios iræ, nullum DEi filium, & Baptismo jam peracto, omnes esse filios Dei, nullum iræ filiū*, 3. *In Baptismo & per Baptismum omnes regenerari & renovari*. Quos tamen non errores, sed divinam & coelestem veritatem esse profiteamur.

xix. Sed nunc veram ejus definitionem afferamus. Et B. Lutherus quidem in Catech. min. ita definit: *Quid est Baptismus?*

Baptismus non est simpliciter aqua, sed est aqua divino mandato comprehensa, & verbo DEI obsignata. Quam definitionem haecenus omnes inde ferme à primis Ecclesiae Reformatae temporibus amplexi semper sunt, & adhuc lubenti animo admittunt, quotquot Orthodoxi sunt. Soli Reformati, uti in omnes à se dissentientes virgulam censoriam sibi sumunt, & quae ab aliis recte posita sunt, destruere & labefactare consueverunt, ita nec ab hac B. Lutheri definitione abstinent protervas manus, eamque ideo rejiciunt, quod genus ejus ex alio praedicamento sit desumptum, quam in quo species deprehendatur. Keckermannus enim lib. i. Syst. Log. cap. iii. hunc Canonem generis format: *Genus cum sua specie semper est ejusdem praedicamenti.* Unde concludit tandem: *Ex hoc utilissimo Canone multa falsa genera deprehenduntur, ut quod superficies non sit genus verum loci, corpus Christi non sit Genus Cane Dominicae, aqua non sit genus baptismi, item lapis non sit genus limitis.*

xx. Quemadmodum verò Canon ille verissimus est, etiam Aristoteli iv. Top. cap. i. §. 5. probatus, ita æquum erat, ut Calviniani observarent, quod aliis praecipiant. Illi autem in eundem scopulum impingunt, si à Luthero ullus error commissus est. Nam Keckerm. ipse lib. iii. System. cap. viii. p. 359. Sacramentorum genus ordinem inter rem externam in sensus incurrentem & inter rem spiritualem constituit. Ordo autem relationem notat: unde cum Sacramentis, quae sunt actiones, in eodem praedicamento esse nequit. Idem paulo post, in omni Sacramento quinque considerata esse ait, *Relatum, Correlatum, Relationem, Fundamentum & Terminum*, quae omnia ad praedicamentum Relationis pertinent. Nec rectius illi sentiunt, qui per signum, aut analogiam signi & signati definiunt: neutrum enim horum cum Sacramentis in eodem praedicamento recte collocatur.

xxi. Coeterum Lutherus cum Baptismum per aquam describit, non nudam aquam intelligit: haec enim absolute sumpta genus actionis dici nequit, sed quatenus aqua certo modo limitatur, & ad peculiarem actionem restringitur, ita, ut non tam aqua, quam aqua in actione seu usu constituta intelligatur. Unde dicit: *Baptismus non est simpliciter aqua, sed est aqua divino mandato comprehensa*

bensa & Verbo DEI obsignata. Vel, ut clarius adhuc artic. Smal-
cald. p. 329. loquitur: *Baptismus nihil est aliud, quàm verbum DEI*
cum mersione in aquam, secundum ipsius institutionem & manda-
tum. Mandatum verò divinum hoc requirit, ut aqua aspergatur
seu tingatur infans: igitur aspergio illa, quæ fit mediante aqua, pro-
prium genus baptismi rectè constituitur, etsi aliis verbis expressa.

xxii. Quod si tamen Calviniani talem definitionem, in qua
genus proximum & adequatum, cum omnibus causis & partibus es-
sentialibus deprehendatur, efflagitant, damus hanc: *Baptismus est*
actio sacra & solennis, à Christo instituta, quâ homines vivi, sine ullo
ætatum sexuumq; discrimine, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti
aquâ tinguntur, ut eis fides, & per fidem remissio peccatorum, regene-
ratio & adoptio vel conferatur, vel confirmetur & obsignetur. Qua
definitione partes necessariae omnes recensentur.

xxiii. Genus est actio seu aspergio. Hanc enim nomina,
quibus Baptismus in Scriptura insignitur, indicant, ut cum dici-
tur lavacrum Eph. v. 26. Tit. iii. 5. *ῥαντισμὸς*, aspergio sanguinis Chri-
sti, 1. Petr. i. 2. Ipsum quoque nomen *βαπτισμὸς* immergendi seu
intingendi significationem habet. Deinde etiam in verbis institu-
tionis, actio præscribitur: Jubentur enim discipuli Christi eorumq;
successores docere homines, si adulti sunt; omnes alios v. sive adulti
sint sive infantes, lavacro aquæ abluere, in nomine Patris, Filii & Spi-
ritus Sancti. iii. Sed & actio quoque in omnibus Sacramentis pro-
priè dictis, tam V. quàm N. T. requiritur. Nam in Circumcisione
pellicula præputii resecanda erat Gen. xvii. 12. in Paschate agnus pa-
schalis manducandus Exod. xii. 8. 9. 11. Ita in Cœna Dominica
panis benedictus & cum eo corpus Domini manducandum; vinum
item benedictum, & cum eo sanguis Christi bibendus. Matt. xxvi.
26. Unde in Baptismo quoque actio quædam necessariò adhibenda
est. iv. Et sanè sine actione nec Sacramentum nec Baptismus fo-
ret. Tollatur enim immersio in aquam, seu aspergio, non erit bap-
tismus: sicut sublatâ amputatione præputii non est Circumcisio:
sublata mactatione, assatione & manducatione agni paschalis non
est pascha. Unde ita argumentari licebit: Quod omnibus specie-
bus est commune, eorumq; naturam genericam describit, id verum

eius genus rectissimè constituitur. Atqui actio omnibus Sacramentis competit. E.

xxiv. Ut verò actio hæc ad Sacramentum restringatur, & ab aliis actionibus vulgaribus, ludicris ac mimicis distingvatur, additur in definitione, esse actionem sacram & solennem. Neque enim quæcunqve actio, vel immersio hominis non baptizati in aquam aut aspersio, etiam cum pronuntiatione illa verborum, Ego te baptizo in nomine &c. verus baptismus est, ut si quis Judæum, aut paganum, sive joco, sive seriò, sive ex improvviso, sive etiam directâ intentione in fluvium præcipitaret, & inter præcipitandum verba baptismi pronuntiaret: Ego te baptizo &c. aut si balneator quispiam in balneo infantem suum aquâ aspergeret, & ipsa illa verba recitaret, is non administraret verum baptismum: Non enim esset actio sacra & solennis, publica & ecclesiastica, sed mimica tantum, ludicra & jocosa, atq; adeò nullum prorsus Sacramentum. Ut autem sciatur, esse actionem sacram & solennem, id ex circumstantiis loci, temporis, modi, personarum, verborum atqve gestuum in baptizante constat, quas circumstantias earumq; exercitium, si Pontificii intentionem ministri appellant, non habebunt nos adversantes. Nam ipsi quoq; concedimus, requiri in ministro baptizante intentionem generalem administrandi baptismum juxta institutionem Christi, quam ille sive verbis, sive gestibus in sensus externos incurrentibus prodit, ad minimum, ne quid contrarium faciat institutioni. Etsi enim intentio faciendi, quod facit Ecclesia, non adsit, imò etiam diversum quid aut contrarium institutioni minister mente sentiat, salvâ essentiâ baptismi, facere tamen aliquid voce vel gestu contrarium non licet, quia id contrariaretur institutioni divinæ, quæ requirit, ut actus ille sit sacer, solennis, publicus & ecclesiasticus, si non omnino expressis verbis & actibus, saltem per præsumptionem, ut & baptizandus, si adultus & rationis particeps est, & qui adstant, intelligant, non esse mimicam, ocularem aut ironicam, sed seriam, à DEO ipso institutam, atq; in Ecclesia inde usque à temporibus Johannis Baptistæ observatam actionem.

xxv. Cætera, quæ in definitione ponuntur, causas Baptismi, nimirum auctorem, materiam & formam, finem item & effectum expli-

explicant, de quibus ordine nobis agendum, & quæ in parte Reformati à veritate abeant, eamq; quantum possunt, impugnent, ostendendum est.

SECTIO II.

DE

Causa efficiente principali.

I. Deum Opt. Max. seu, quod perinde est, totam S.S. Trinitatem auctorem & causam efficientem esse, tum aliorum Sacramentorum, tum ipsius Baptismi, apud omnes hodie indubitatum est, idq; non tantum ex Matth. XXI. 25. ubi Baptismus Johannis ex cælo, non ex hominibus esse dicitur, sed etiam ipsius Baptistæ testimonio Joh. I. 33. se à DEO ad baptifandum missum esse confitentis, rectissime probatur, ut ostendat videlicet, se nequaquam baptismum propria auctoritate instituisse & administrasse, aut ab hominibus ad baptizandum missum esse, sed à DEO ipso hoc munus sibi demandatum, atqve adeò primam ejus originem atqve institutionem soli DEO acceptam ferendam esse:

II. Idem quoq; inde colligitur, quod cum solus DEUS finem supernaturalem, qui est æterna beatitudo, largiri & conferre possit, idem etiam solus media ad eum obtinendum necessaria, seu, quid ab homine præstari ac credi oporteat, constituere ac sancire queat. Nam potestas ordinandi medium proportionatum acquirendi bonum supernaturale non potest penes alium esse, quàm penes eum, qui bonum illud supernaturale largiendi & exhibendi potestatem habet. Unde ita argumentor: Qui solus gratiam, remissionem peccatorum, justificationem, renovationem, salutem æternam aliaq; bona spiritualia & supernaturalia propria auctoritate conferre potest, ille solus quoq; media iis conferendis apta & proportionata constituere & ordinare valet. Atqui solus Deus hos spirituales & supernaturales effectus conferre & peccatis medicinam facere potest, Ergo idem solus quoq; media iis conferendis & consequendis idonea præscribere & ordinare poterit. Baptismus verò est tale medium ad beatitudinem æternam consequendam à DEO ordinatum & constitutum, unde neminem alium nisi DEUM auctorem agnoscit.

III. Non

III. Non tantum autem de faciendis, seu, quæ DEUS à nobis præstari voluit, ut iis mediantibus finem fidei consequamur, sed etiam de credendis idem asserendum est, neminem videlicet aliū, nisi solum DEUM præscribere posse, quid nobis ad æternam salutem consequendam, tanquam medium aliquod, creditu necessarium sit. unde denuò ita argumentari licebit: In cuius solius potestate est novos fidei articulos condere, & quid unicuique; ad æternam salutem adipiscendam creditu necessarium sit, præscribere & exigere, in eius solius potestate quoque; est, organa practica ad consequendam fidem & beatitudinem æternam necessaria, Sacramenta videlicet, ordinare, & ad usurpandum præcipere. Atqui in solius DEI potestate est, fidem, ejusque; articulos ad salutem necessarios præscribere, & mandando exigere: Ergo ejusdem quoque; est organa practica salutis æternæ consequendæ apta ordinare & exigere.

IV. Unde nunc firmâ sequelâ concluditur, neminem mortalium quantacunque; auctoritate & sanctitate polleat, ac ne quidem ullam Ecclesiam ullumve Concilium, universale aut particulare, hanc potestatem sibi arrogare debere, ut vitam æternam cuiquam per se polliceri, aut media convenientia & proportionata, quibus vita æterna & alia bona supernaturalia conferantur & confirmantur, excogitare & instituere possit. Neque; ullo idoneo testimonio probari potest, DEUM ulli hominum generi hanc facultatem concessisse, ut vel suo, vel etiam DEI nomine, Sacramentum aliquod, hoc est, certam actionem ordinare, certamque; materiam & formam ad eam necessariam determinare, ei que; vim & efficaciam indere liceat. Id quidem conceditur, Apostolos & alios Ecclesiæ ministros hominibus peccata remittere, eosque; justificare & salvare per Verbum & Sacramenta, id tamen non fit instituendo talia media, quibus medicina peccatis fiat, sed applicando ea, quæ semel à DEO sunt instituta. Potius igitur præconis ac ministri vicem sustinent, qui vocis ac manuum operam commodant, quàm causæ instituentis & fundatorum. Unde Paulus Apostolus I. Cor. IV. 1. se & suos Collegas ministros tantum & *οἰκονομοὺς* mysteriorum divinatorum appellat. Ad quæ Verba Chemnit. in Exam. ad sess. v. Sub Pio IV. de Commun. sub utraque; ita commentatur: *Mysteria ibi Paulus intelligit revelationem*

tionem totius doctrinae Evangelicae, & Apostolos vocat ministros *οὐκ* *αὐτοὺς*: hanc ipsam innuens antithesin, quod non sint Domini horum mysteriorum, qui potestatem habeant mutandi & abrogandi, sed quòd tantùm sint *οἰκονομίαι*, in quibus hæc fidelitas requiritur, ut juxta institutionem, præscriptum & mandatum Domini, ea dispensent, quæ ipsis commissa sunt. Quæ verba omnia lubentes approbamus.

v. Quemadmodum enim nemini mortalium potestas Sacramenta instituendi competit: ita nulli creaturæ licet id, quod à Deo immediatè institutum est, abrogare, adulterare, vel mutilare aut mutare, & aliam ei materiam surrogare & determinare. Hæc enim ad essentiam Sacramentorum pertinent: Unde qui partem aliquam essentialem mutat aut tollit, ipsam substantiam evertit. Et idem tamen nonnulli ex Calvinianis audent, & cum desit aqua, defectum illum quovis alio liquore permutari posse concedunt. Unde rectè colligimus, aut materiam terrenam ad Sacramenti essentiam non pertinere, aut Doctoribus Calvinianis licitum esse, materiam à Christo ipso determinatam, ipsamquæ adeo Sacramenti essentiam mutare.

vi. Non tantùm autem Deus, seu tota SS. Trinitas, sed etiam Christus, Dominus & Servator noster, hujus Sacramenti causa princeps est, nec tantùm quatenus Deus, sed ut idem quoque homo est, seu, secundum naturam humanam. Nam ad Mediatoris munus pertinet Ecclesiæ, quam sanguine suo acquisivit, de certis bonis, quibus ea nutriatur, regatur & conservetur, prospicere, & non tantùm ea procurare, instituere & ordinare, sed etiam efficacissimè applicare, quod fit per Verbum & Sacramenta. Christus autem officium illud exercet secundum utramque naturam, quod omnes concedunt: unde consequens est, eum baptismum quoque secundum utramque naturam instituisse.

vii. Idque Reformati quoque admittere videri volunt, ac propemodum indignantur, si quis eos contrarium sentire ac docere dicat. Wendelin. certè Syst. Maj. lib. i. cap. xx. thes. iv. calumniatores vocat, qui per eos ab institutione Sacramentorum humanam Christi naturam excludi vociferantur, *idq; ex nostra sen-*

gentia, inquit, 1. *Humanæ Christi naturæ non sunt communicata divinitatis idiomata.* 2. *Ea ad applicationem Christi nihil confert.* 3. *Non est ubique.* Quorum primum & tertium planè inconsequentia sunt, secundum planè falsum. Sed vide lector, & attende, quàm trepidanter, quamque suspenso gradu incedat? nam ea, quæ maximi momenti erant, præterit; reliqua vix uno alterove verbo tetigisse contentus, ἀνακόλυστα esse dicit.

VIII. Nam primò negat sequi, si humanæ Christi naturæ non sunt communicata divinitatis idiomata, eam non potuisse instituire Sacramenta. Quod verò id rectè inde concludatur, ita probo: Quicumq; secundum humanam naturam non habet idiomata verè divina, ille non potest esse mediator nec officium mediatorium exercere: Atqui Christus secundum humanam naturam non habet idiomata verè divina: Ergò Christus secundum humanam naturam non potest esse mediator, aut officium mediatorium exercere. Major constat: Nam mediatorem non tantum ab utroque extremorum distare & ab utroque participare, sed etiam proprietates cum iisdem convenientes habere oportet, ut nimirum Deo per ἰσορροπὸν λύτρον pro genere humano satisfacere, Ecclesiam sibi sanguine suo acquirere, verbo & Sacramentis regere ac pascere, denique & contra hostes potenter tueri; eamqve æternis præmiis mactare, hostes verò nunquam finiendis cruciatibus afficere possit. Id verò præstare non potuisset, nisi idem Deus & homo fuisset, & utraque natura id, quod suum erat, præstitisset: humana quidem, sanguinem fundendo; divina verò, quæ humanæ intimæ unita fuit, vim infinitam eidem impertiendo. Quod ergo passus & mortuus est, humanæ naturæ proprium fuit: quod verò passio & mors ejus tanti pretii fuit, ut pro totius humani generis peccatis satisfaceret, inde est, quod non puri hominis, sed ipsius filii DEI passio & mors existeret, unde virtutem ac vim infinitam accepit. Quare ut solus homo, qui divinâ & infinitâ potestate præditus non est, mediatoris, redemptoris & Salvatoris munus obire nequit, ita nec Ecclesiam sibi asserere, nec Verbo & Sacramentis regere, aut adversus inferorum portas defendere.

ix. Sed rem totam brebibus absolvam: Quicumque non pollet potestate & excellentiâ verè divina, is Sacramenta instituere nequit; *Ἐυδηλον*: Atqui Christus secundum humanam naturam, ut ipsi quidem volunt, nullâ divinâ potestate & excellentiâ, nullisquè divinitatis idiomatibus pollet. Ergò Christus secundum humanam naturam Sacramenta instituere non potuit. Quare optimè sequitur, per primam hypothesin humanam Christi naturam ab institutione Sacramentorum prorsus excludi.

x. Sed nec tertium inconsequens est, quod humana natura *non sit ubique*. Equidem baptismus eo tempore, cum Johannes ad Jordanem veniret, & baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum praedicaret, institutus & primum administratus, atque postea quoque discipulis Christi frequentatus est, qui etiam hodie adhuc in omnibus locis, & ubicunque Christiani degunt, quotidie dispensatur, ibi certè Christum Mediatorem praesentem esse, & opera mediatoria secundum utramque naturam exsequi, hoc est, bona per meritum ipsius parta, Christianis suis efficacissimè applicare, oportet. Id si per divinam naturam tantum, seclusâ tantisper humanâ, efficeret, tum naturas invicem separari, personam Christi & unionem personalem solvi, & duos Christos, totidemque mediatores constitui consequens foret, unum, qui in dispensatione Baptismi praesens adesset, alterum non item: illum, qui administraret, hunc, qui otiosus foret: imò ne adesset quidem. Unde optimè sequitur, qui secundum humanam naturam omnibus locis, iis praecipuè, ubi hoc Sacramentum Dei jussu peragitur, praesens non est, is, secundum eandem naturam nec instituit Baptismum, nec ubi frequentatur, adesse, & tanquam legis hujus & Sacramenti lator praesens dispensare potest.

xi. Alterum membrum, ut eò revertar, quod Wendelinus *plane falsum esse* ait, nimirum, quod humanam Christi naturam ad applicationem nihil conferre doceant, id non falsum, sed verissimum est, quicquid demum dissimulet. Baptismus hodie adhuc efficax est, & dona ordinaria cuivis renato ad salutem necessaria confert, sicut olim dona extraordinaria Apostolis & aliis fidelibus conferebat, idque non tantum significando & obsignando,

do, sed etiam reapse efficiendo & producendo. Hanc efficaciam verò non ex se habet, sed illam uni & soli Christo debet, qui ministris Ecclesiæ jugiter adest, & per eorum lingvas & manus baptizandis applicat, simulque vim eam exerit & regenerationem operatur. An id credunt Calviniani? Nihil minus, qui potius omnem veram & realem efficaciam baptismo abjudicant, & præter nudam significationem nihil ei largiuntur. An admittunt, Christum Deum pariter & hominem applicare symbola à se instituta, & per ea, tanquam instrumenta regenerationem verissime efficere? Non sanè, qui potius humanam Christi naturam, nec præsentem esse, nec quicquam agere aut applicare contendunt. Et quid tandem sibi vult, cum humanam Christi naturam *ad applicationem Christi* aliquid conferre dicit, idque à se non negari contendit? Num humana Christi natura Christum ipsum applicat, aut ad ejus applicationem quicquam confert: Et si Christum applicat, an id facit ratione personæ, an verò beneficiorum respectu? Et cui tandem, quo modo & medio quicquam applicat? Id verò simul indicare debebat, ut intelligi posset.

xii. Quicquid igitur neget Wendelinus, aut calumniam appellitet, verum tamen est, quod humanam Christi naturam ab institutione Baptismi prorsus excludat. Idque alii ejus socii ultrò & lubentes fatentur, qui humanæ Christi naturæ per unionem personalem nec omniscientiam, nec omnipotentiam, nec denique quicquam eorum, quæ ei, qui Baptismum instituere velit, necessaria sunt, communicata esse volunt. Unde quæ supra dicta, hic denuo inculcanda sunt, quod, qui potentia verè divina non pollet, is nec medium ad beatitudinem æternam consequendam necessarium instituere queat.

xiii. Hoc ut obtineant, & humanam Christi naturam ab institutione baptismi excludant, multa comminiscuntur, & alii quidem in subjecto, cæteri in prædicato hærent. Illi vel humanam naturam instrumentum divinæ vocant, vel Christum hujus Sacramenti auctorem dicunt ratione suppositi, non naturarum. Hi verò potestatem aliquam mediam, quæ nec merè divina, nec merè humana sit, excogitarunt. Quæ omnia ad eundem scopum
colli-

collineant, ut nimirum humanæ naturæ omnem potestatem divinam derogent.

xiv. Prioris generis auctores humanam Christi naturam non causam principalem, sed inferiorem quandam & principali subordinatam, qualis instrumentalis esse solet, constituunt, qui etiam exercitis verbis organon & instrumentum τῷ λόγῳ omniumque ejus operationum & miraculorum, quæ in diebus carnis suæ patravit, appellant: Nec interim tamen tale instrumentum, quod à causâ principali in unitatem suæ personæ assumptum, intrinsecè illi unitum, & eâdem, quæ Deus ipse, omnipotentia & majestate præditum sit, sed nudum, & omni vi ac facultate divinâ destitutum, quod in operibus & miraculis patrandis nihilo plus præstiterit, quàm baculus Moïsis aut virga Aaronis. Qua similitudine haud illubenter Danæus utitur, nec Admonitioni Neostadiensi ejusque auctori & defensori Ursino displicet, qui eam T. II. op. p. 935. hoc Syllogismo contemplandam proponit: *Quemadmodum se habet virga Moïsis in edendis miraculis, sic se habet humanitas Christi ad Deitatem: Atqui baculus Moïsis fuit instrumentum edendorum miraculorum, nec realiter propriam edendi miracula vim accepit. Ergò & humanitas Christi instrumentum fuit edendorum miraculorum, nec realiter operationem DEI propriam communicatam habet.* Quo ipso parum abest, quin humanam naturam in brutum aut inanimatum aliquod instrumentum, quo artifex in efficiendis operibus utitur, sed sine sensu & cooperatione instrumenti, transformet, unionem certè personalem solvant, duas personas, duosque Christos sibi fingunt, & in Nestorii castra apertè transeunt.

xv. Verùm si propriè loqui velimus, humana Christi natura instrumentum τῷ λόγῳ rectè dici nequit. Quanquam enim in patribus hanc loquendi formulam toleremus & commodo sensu explicemus, posse scilicet dici, Christum uti carne sua in operationibus edendis, tanquam instrumento: veluti dicimus, animam uti corpore, quò cum unus est homo, loco instrumenti, & in illo ac per illud functiones suas exercere. Sicut tamen nemo corpus, animæ instrumentum, propriè loquendo, dixerit, cum

æquè ac illa sit pars hominis essentialis, ita nec humana Christi natura divinitatis instrumentum fuerit, quia persona Christi hodie post incarnationem divinâ & humanâ naturâ constat, & utraque ad personæ integritatem pertinet, utraque etiam eandem hypostasim habet.

xvi. Alii personæ Mediatoris tribuunt, humanæ verò naturæ abjudicant, quibus nihil frequentius est, quam distingvere inter principium *quod*, & principium *quo*, & illo totam personam designari statuunt, hoc alterutram ejus naturam. Institutionem ergo baptismi Christo convenire contendunt, quatenus persona ejus & principium quod ex utraque natura constat, juxta communem regulam, actiones sunt suppositorum: non humanæ naturæ, ut principio quo. Ita enim Leydenfes in Synopsi Disp. XLIII. thes. VIII. explicant: *Cum Christus JESUS Mediator inter DEUM & homines sit una cum Patre DEUS, ipsi etiam eandem tribuimus potestatem, qui summus sacerdos sui Sacramenti est institutor & autor, Christo, inquam, Ἰεσὺς Χριστῷ, observatâ semper illâ veterum distinctione, Verbò operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est? quam tamen in persona, in qua subsistit, non negamus Sacramenta instituisse, etsi negemus, ad humanam naturam in se, tanquam ad actionis principium, referendum esse, quod ab excellentia & majestate divina pendere fatentur oī ἐξ ἐναντίας.*

xvii. Verùm contra hæc nostrates rectissimè argumentati semper sunt: Quicquid Christo ratione officii tribuitur, id fit vel secundum humanam naturam tantùm, vel secundum divinam tantùm vel secundum utramque conjunctim: Ulterius progredi non licet: Nec enim persona tertium quid est à duabus naturis distinctum, nec tale compositum, quod nec DEUS sit, nec homo. Atqui non secundum humanam tantùm; hæc enim opus redemptionis & mediationis perficere non potuisset, nec secundum divinam tantùm; hæc enim pati & mori non potuisset, unde secundum utramque naturam simul. Quod ergo totus Christus, tanquam principium *quod* Sacramentum instituerit, nemo dubitat, sed nec id dubium habet, divinam naturam idem præstitisse: de humana

mana verò antea ostendimus, eam excellentiam & majestatem divinam in unione personali accepisse, atque adeò validè ad eandem functionem, ut principium quo actionis concurrisset. Canonem verò Concilii Chalcedonensis lubentes admittimus, unamquamque naturam præstare id, quod suum est, sed cum communicatione alterius: cujus sensus hic est, humanam agere id, quod hominis est; sed divinitus, quia potentiam verè divinam habet: divinam verò id, quod DEI est, sed humanitus, quia caro τὸ λόγῳ propria est.

xviii. Tandem alii potestatem quidem humanæ naturæ datam esse concedunt: non aliam tamen, quàm talem ac tantam, quanta in naturam creatam cadere potest, angelorum & hominum ceterarumque creaturarum potestatem quidem multis modis superiorem; solâ divina tamen inferiorem. Quo pacto duplicem, imò & triplicem potestatem confingunt, unam, quæ sit verè divina & soli DEO competat: alteram humanam, solis creaturis propriam: & tertiam denique medianam, quæ divinâ sit inferior; longè major tamen & excellentior humanâ & angelorum omnium potentiâ, & hanc demum Christo secundum humanam naturam tribuunt.

xix. Quam sententiam ex Pontificiis hauserunt, ut ex Bucano patet, qui Loc. XLVI. quæst. III. ad Thomam provocat, & ita loquitur: *Rectè Thomas, Sacramentorum institutio est excellentiæ, potestatis & majestatis divinæ.* Qui tamen nec Thomam legit, nec mentem ejus exprimit. Thomas enim part. III. q. LXIV. artic. IV. in corpore ita loquitur: *Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem, unam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod DEUS, & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo.* Duplicem, ut patet, potestatem Christo tribuit: unam auctoritativam, ut ita loquar, soli DEO propriam & nulli creaturæ communicabilem: alteram excellentiæ, quæ sit veluti media, inter divinam & humanam. Atque ita mentem Thomæ sui & aliorum Theologorum, Bellarminus sine omni dubio intellexit & expressit, cum lib. I. de

de Sacram. in gen. cap. xxiii. triplicem causam efficientem in Sacramentis à Theologis considerari ait: *Unam principalem & omninò independentem, in qua dicunt esse potestatem auctoritatis. Alteram instrumentalem, sed instrumenti conjuncti, in qua dicunt esse potestatem excellentiæ. Tertiam instrumentalem, sed instrumenti separati, in qua dicunt esse potestatem ministerialem.* Ubi porrò Christo, ut homini, tribuit potestatem quandam excellentiæ, sed derivatam à divinitate, quàm oportet esse mediam inter divinam & humanam.

xx. Verum enim verò non mediam, sed verè divinam potestatem Christo secundum humanam naturam communicatam esse, quâ æque, ut **DEUS** ipse, Baptismum instituit, inde patet, quod eo ipse tempore, quo sacrum hoc instituerat, aut saltem promulgabat, & ut in omnem terram euntes Apostoli gentes omnes baptizarent, præcepit, dicebat, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. xxviii. 16. Quo non humanam quandam, nec mediam, sed potentiam prorsus divinam, quæ in cælum atque terram sibi jus competat, sibi datam esse significat. Cumque munus docendi & baptizandi summis laboribus & periculis obnoxium sit, quæ facilè Apostolis & eorum successoribus metum incutere possint, se auxilio suo præsto ipsis futurum & efficaciam ministerio largiturum pollicetur. Addit enim: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*

xxi. Ex quo loco rectissimè quoque concluditur, eum non tantum in prima baptismi institutione quoad utramque naturam præsentissimum fuisse, sed hodie quoque adesse, ubicunque ille ritè administratur. Unde sicut principalis auctor Sacramenti, ita quoque dispensator meritò habetur. Est enim adhuc Rex & caput Ecclesiæ suæ, unde vita, Spiritus & motus in membra omnia dimanant. Ministri verò non suo, sed ipsius nomine agunt, nec suum aliquod, sed alienum beneficium dispensant, & manus ac vocem saltem commodant, ut Chrysostr. Hom. lxxxv. in Joh. ait: *DEUS omnia facit, sacerdos linguam & manus præbet.*

SECT.

25
SECT. III.

De

Causa ministrante.

I. His succedat minister baptismi. Cum enim DEUS hodie per se & immediatè baptismum non administret, aliis id officium injunxit, qui munere isthoc fungantur. Hi autem sunt ordinariè Ecclesie ministri peculiariter à DEO ordinati & ab Ecclesia vocati, juxta sententiam August. Confess. art. xiv. asserentis, *quod nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.* Quæ sententia Anabaptistica confusioni opposita est, ubi cuilibet è vulgo non tantum baptismum administrare, sed alia etiam munia ecclesiastica obire licet.

II. Idq; porrò probatur I. quia ministri Ecclesie sunt præcones DEI, Legati ac ministri Christi, item dispensatores mysteriorum divinorum, ut ex I. Cor. iv. I. II. Cor. v. 20. I. Tim. III. 5. Tit. I. 5. liquet: Inter illa verò etiam Sacramenta suum locum obtinent. II. Quia munus docendi & administrandi baptismum eidem subjecto demandatum est, cum Christus ad discipulos suos ait: *Euntes docete & baptizate*, Matth. xxviii. 19. Unde ita licet argumentari: Quibus injunctum est munus docendi, iisdem etiam munus sacramenta administrandi incumbit. Atqui utrumq; officium Apostolis & eorum successoribus demandatum est, ut nimirum doceant omnes gentes, & Baptismum in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti administrent. III. Utrumq; etiam munus nimirum ministerium docendi & prædicandi, ac præterea etiam Sacramenta administrandi primò quidem Johannes Baptista, deinde etiam Apostoli in se susceperunt, ut ex historia Evangelica & Actis Apostolicis patet. Quibus iv. Sacramentum Circumcisionis accedit, quod ordinariè per Sacerdotes & Levitas administratum fuit, ut exemplo Abrahami, Levitarum, Matthiæ Sacerdotis I. Macc. II. 6. atq; aliorum constat. Hinc talis regula extruitur: Quod officium ordinariè olim solis Ecclesie ministris demandatum atq; ab iis exercitum fuit, idem iisdem hodie, & quidem solis est demandandum. Et quod in Circumcisione olim observatum est, idem hodie quoq; in Baptismo rectissime observatur, qui in locum illius successit.

D

III. Quan

iii. Quamquam autem Paulus Apostolus 1. Cor. 1, 17, se non missum esse ad baptizandum, sed ad Evangelizandum dicat, id tamen non est absolute intelligendum: ipse enim eopse loco fatetur, se Crispum & Cajum, Stephanæ familiam & forte alios baptizasse, quod non fecisset, nisi ad id munus vocatus fuisset: Sed comparate & de actu baptizandi. Cum enim intelligeret, se à DEO iis dotibus instructum esse, quæ magnam utilitatem in Ecclesia afferre poterant; prædicando nimirum Evangelium, non iudicavit tempus terendum esse in ea re, quam multi alii æquè facile administrare poterant. Et est aliàs comparationum ea natura, ut cum unum excellit, alterum ferme pro nihilo habeatur. Sicut cum idem Apostolus 1. Cor. ix. 9, negat, Deum ullam curam boum habere, quod tamen comparate intelligendum est, tantam scilicet curam boum non gerere, quantum habet ministrorum Evangelii.

iv. Quod verò Anabaptistæ, & qui eis hac in parte adstipulantur, excipiunt ex Actis Apostolicis constare, etiam præsentem Apostolo, laicos baptismum administrasse. Nam Act. x. 48. iussisse Petrum, ut baptizentur, qui Cæsareæ in domo Cornelii Spiritum sanctum acceperant. Nullis verò aliis præcepit, nisi laicis, cum nulli alii præsto essent. Id planè falsum est. Primò enim iussit, ut baptizentur. Verisimile autem est, utrumq; ipsummet præstitisse, iussisse nimirum & baptizasse; sicut Deus à principio mundi & in ipsa creatione iussit, ut producerentur creaturæ, & simul tamen ipse produxit. Deinde si aliorum opera usus fuit Apostolus, illi certè non fuerunt laici, sed Evangelistæ, presbyteri, & Diaconi, quos Apostoli plerumq; comites secum assumebant. Et tandem si maxime etiam laici fuissent, nulla ordinaria vocatione ad baptizandum instructi, quia tamen iussu & præsentem Apostolo id fecerunt, idem est, ac si Apostolus per se fecisset, quemadmodum etiam multi à Christo baptizati dicuntur, qui ejus baptismo, & forte ipso præsentem ab aliis baptizati fuerunt.

v. Cæterum, quæ hæcenus disputavimus, de casu ordinario intelligenda sunt. Extra ordinem enim, & in casu necessitatis, in loco privato, & ubi copia ministri ordinarii haberi non potest, in præsentia tamen testiū, cuilibet Christiano, qui loqui & abluere potest, sive ipsemet

ipsemet baptisatus sit, sive minus, dummodo intelligat, & partes essentielles, materiam & formam, quæ in affusione aquæ & pronuntiatione verborum, Ego te baptizo in nomine P. F. & S. S. consistit, decenter adhibeat, eo officio fungi licet.

VI. Dico autem in casu necessitatis laico cuicumq; id facere licitum esse, dummodo sit sufficienter instructus. Sicut enim casus emergere, loca & tempora dari possunt, quibus unusquisque, ad eam rem idoneus, docendi partes sibi sumere possit, ita fieri potest, ut laicus, etsi ad munus docendi ordinariè non vocatus, baptizandi jus sibi vindicare rectè possit. Est autem necessitatis casus ille, cum infans recens natus tam infirmus est, ut sine baptismo moriturus videatur, si vel minister Ecclesiæ accersatur, vel in templum aut Ecclesiæ coetum deferatur, quare alterutrum faciendum fuerit, aut permittendum, ut sine baptismo moriatur, & intentatum à regno cœlesti exilium subeat, cum ordinarius Ecclesiæ minister in promptu non sit, aut moribundo baptismus à privato seu laico administrandus. Ubi tamen observandum, casum necessitatis dari respectu nostri, quibus ex mandato divino baptismi necessitas incumbit, & in casu mortis: non respectu DEI, cuius ille est ordo, ut tamen aliter agere pro lubitu queat.

VII. Sicut autem in casu tantum necessitatis & extraordinariè laicus adhiberi potest, ita etiam in loco privato id fieri oportere dicimus. Si enim infans in templum deportari potest, casus necessitatis cessat, nisi forte & tum ministri ordinarii copia haberi non posset. Quemadmodum igitur mulieres in Ecclesia tacere debent, nec permittendum, ut publicè & in publico coetu verbum DEI prædicent, juxta præscriptum Apostoli 1. Cor. xiv. 34. 1. Tim. ii. 12. Ita ne hoc casu ac loco baptismum administrare debent, id enim illi demum facere possunt ac debent, quibus ordinariè munus ecclesiasticum est demandatum.

VIII. Hunc baptismum à laicis in casu necessitatis administratum dici non potest, quantum Calviniani, imprimis verò Beza, execrentur, & flagitiosissimè traducant: nam & spurcissimis & impuris nominibus infamant, dum fabulam, *Noth-und Zachtasse* impiam & sacrilegam baptismi profanationem, horrendum & pu-

dendum errorem, modis omnibus execrandum, crassam superstitionem, stultam & temerè susceptam actionem, quæ stulta & præpostera æmulatione infantes profana aspersione polluantur, à ministris legitimo baptismo denuo consecrandi, appellant: Ipsum verò baptismum, etsi cætera legitimè administratum, pseudobaptismum & nullum pronunciant, atque iterandum censent, qui etiam subditis svadent, ut si princeps tale quid admittere jubeat, usq; ad sanguinem resistant potius, quàm ut huic non tolerandæ superstitioni consentire velint.

ix. Altingius tamen part. II. probl. XVI. virorum baptismo æquior videtur, quàm mulierum. Illum, etsi licitum ac legitimum pronunciare nolit, cum trifariam sit vitiosus: iterandum tamen negat, si juxta Christi institutionem, & in dissipatione Ecclesiæ fuerit administratus & susceptus: nam in illo Ecclesiæ statu DEUM multa condonare, quæ nullo modo admittere fas esset in Ecclesia benè ordinatâ. Mulierum autem prorsus rejicit, & iterandum censet, *quia non modo lex DEI expressissima, inquit, sed etiam ordo ipse nature violatur, cum mulieres se ingerunt in partem aliquam ministerii ecclesiastici.*

x. Argumenta, quibus sententia nostra adstruitur, hæc sunt. Primum à necessitate Baptismi petitur, quæ tanta est, ut Christus ipse auctor ejusdem exertis verbis pronunciet, idq; altera vice repetat, neminem visurum regnum cœleste, nisi qui ex aqua & Spiritu regeneratus fuerit, Joh. III. 4. 5. Cum igitur medium illud regenerandi hominem & in regnum cœleste transmittendi, tam necessarium sit, quis pius non potius ab homine alio ad hoc officium non destinato, cum ab ordinario ministro expectari non potest, suæ aut alienæ proli illud applicari patiat, quàm periculum exilii à regno cœlesti subire permittere?

xi. Deinde: Quorum est docere, eorum quoque est baptizare, utrumque enim officium conjungitur Matth. XXVI. 11, 19. Id quod ab omnibus admittitur. Pergamus verò argumentando: Qui extra ordinem & cætum publicum, præsertim necessitate exigente, munus docendi gesserunt, & adhuc rectè gerere possunt, illi etiam extraordinariè, & extra cætum publicum, & necessitate sic exigente, baptismum

primum administrare possunt. Atqui aliquando privatim & domi suae, non tantum extra ordinem, sed etiam publicè in loco publico, & extra peculiarem necessitatis casum, feminae verbum DEI annunciarunt, ut exemplis Deboræ, Judic. iv, 4. Huldae II. Reg. xxii. 24. Hannæ Luc. ii. 36. Priscillæ Act. xviii. 27. quam Paulus *σύνεργον* & adjutricem suam vocat, Rom. xvi. 3. Loidis & Eunice II. Tim. i. 5. cap. iii. 15. aliorumq; constat: Quanto magis ergo ipsæ illæ baptismi ministerium, necessitate ita exigente, suscipere possint? Quorsum etiam verba B. Gerh. nostri ex Loc. de Bapt. §. 35. referre placet, qui cum simile argumentum adduxisset, ita concludit: *Confirmatur argumentum ex eo, quod Paulus 1. Cor. i. 14. ostendit, docendi munus longe difficilius & augustius esse, quàm baptizandi, cum ad illud majora Spiritus Sancti dona requirantur.* Equidem negari nequit, baptizandi actum tantâ eruditione, circumspectione, aliisque adminiculis opus non habere, quibus munus docendi, aliosq; de rebus ad salutem necessariis informandi opus habet.

xii. Non tantum autem verbum DEI in genere prædicandi, sed etiam Evangelium, hoc est, gratui tam peccatorum condonationem & absolutionem moribundis annunciandi munus privato in casu necessitatis & absente ordinario Ecclesiæ ministro suscipere & obire licet. Unde tale sit argumentum: Qui in casu necessitatis morienti absolutionem annunciare & impertire potest, illi etiam eodem casu & statu ministerium baptismum administrandi suscipere licet. At quivis Christianus illud præstare potest, absente ordinario ministro, & in casu necessitatis, tempore pestis, obsidionis, persecutionis, navigationis, quemadmodum Lutherus noster dicere solitus est: *Ubi non adest Sacerdos, in casu necessitatis, absolutionem quivis Christianus annunciare potest.* Et in art. Smalcald. de Potest. & jurisdic. Episc. p. 353. *In casu necessitatis absolvit etiam laicus, & fit minister ac pastor alterius.* Ubi etiam historiam ex Augustino recitat de duobus Christianis in navi, quorum alter baptizaverit *κατηχήμενον*, & is baptizatus deinde absolverit alterum.

xiii. Tertiò, sicut in V. T. circumcisio à laicis, ipsis etiam feminis non circumcisis, in casu necessitatis administrari poterat, ita etiam baptismus in N. T. eodem casu emergente. Par enim utrobi-

que est ratio, nec dispar necessitas, utrumq; etiam est Sacramentum initiationis. Exemplum ejus rei evidentissimum nobis suppeditat Zippora, Mosis uxor, quæ filium suum circumcidit, & eo facto maritum à morte liberavit. Quod factum DEus ipse approbavit. Quale quid etiam feminae Maccabaicæ tempore persecutionis Antiochianæ designarunt I. Macc. I. & II. Mac. VI. Quæ historiæ ad minimum ostendunt, in populo DEI non prorsus illicitum fuisse laicis, sive viris sive feminis, circumcidendi ministerium suscipere.

XIV. Quartò eadem sententia quoq; antiquitatis consensu nititur, ut pateat, non esse novam, aut hodie demum vel heri excogitatam, sed à primis fermè Ecclesiæ Christianæ incunabulis approbatam & observatam. Verba non libet ascribere. Videatur Tertull. lib. de Bapt. cap. XVII. Ambros. in Eph. IV. Augustin. lib. II. c. Epist. Parmen. cap. XII. Hieron. adv. Lucif. Conc. Carthag. IV. Can. XCIX. cujus verba etiam Dist. IV. de Consecr. cap. Mulier, & Isidori ead. dist. c. constat, Augustini quoque c. In necessitate, leguntur,

XV. Denique Calvinus ipse, quo nemo acrius se laicorum Baptismo opposuit, idem agnoscere cogitur, dum lib. IV. Instit. cap. XV. num. 20. ita ea de re scribit: *Quod multis ab hinc seculis, adeoq; ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset. Quam consuetudinem ipse quidem non laudat, nec approbat, aliquam tamen fuisse, & à primis fermæ Ecclesiæ incunabulis usu receptam negare non audet. Totius Ecclesiæ Anglicanæ sententiam Casaub. Epist. ad Cardin. Penonium, nomine Regis Angliæ perscriptâ, quæ inter ejus epistolas est DCCX. observat. III. his verbis exprimit: *Quod de nascente olim ecclesia dixit Tertullianus, baptizare episcopum, presbyterum, diaconum, postremo etiam laicis jus esse, in extremo videlicet necessitatis casu, hoc ipsum in ecclesia Anglicana, quod ad episcopos, presbyteros & Diaconos hodieq; servatur, sine ulla vel loci vel temporis rigida & penitus inviolabili observatione. Laicorum verò baptismum aut feminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuncians, etsi non legitimè administratum. Serenissimus verò Rex Jacobus tanti hoc Sacramentum facit, ut quosdam in Scotia ministros quum**

quum nescio quas nova disciplina ordinationes pratexerent, quo minus moribundos infantes rogati à parentibus baptizarent, metu supplicii injecto ad officium compulerit, minatus extrema, ni parentent. Quæ verba quantopere abhorreant ab iis, quæ Genevæ in Allobrogibus Beza contra mulierum baptismum effutit, nemo non videt.

xvi. Quæ verò Calviniani vel pro nostrâ sententiâ evertendâ, vel sua adstruendâ afferre solent, facilem habent explicationem. Illud præcipuum est, quod utriq; de necessitate hujus tanti lavacri disputamus, quam nos summam maximamq; dicimus, sine quâ ordinariè nemo salvari queat: illi verò usum ejus vix indifferentem putant, quo nec gratia regenerationis, nec fides, nec quicquam deniq; aliud ad salutem consequendam necessarium conferatur. Si jam obtineamus, baptismum esse medium ad capeffendum jus, hæreditatem coelestem adeundi necessarium, facile impetrabimus ab homine suæ & suorum salutis cupido, ut si ab ordinario verbi ministerio id officium expectare non possit, ab alio potius, ordinario ministerio non fungente, id suscipere aut suæ proli applicari velit.

xvii. Nos igitur summam hujus lavacri suscipiendi necessitatem ex ipsius Christi, Domini & auctoris Baptismi ore ostendimus, qui fulminantis instar, addito etiam jure jurando & intentato à regno cælesti exilio, & quidem iterata voce ita loquitur: *Amen Amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cælorum*, Joh. III. 3. 5. Quibus verbis ostendit, Sacramentum hoc tam necessarium esse, ut omitti ac negligi non possit, quin DEI institutum & medium ad capeffendum regnum cælorum ordinatum spernatur, & jus hæreditatis cælestis adeundæ amittatur. Quare etiam Apostolis suis, ut gentibus omnibus, quas adire contingeret, ministrarent, his vero ut susciperent, seriò injunxit, addita promissione salutis æternæ, quam adepturi essent, qui ad hoc sacrum dignè accederent, & severâ comminatione, quæ alibi additur, fore, ut si quis temerè negligat, regno cælorum excludatur. *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, Matth. xxviii. 19. Et iterum

Et iterum Marc. xvi. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.*

xviii. Huiusmodi etiam pertinet Circumcisio, in cuius locum Baptismus successit. Sicut autem nemo in V. T. Circumcisionem insuper habere potuit, quin scelere inexpiabili sese obstringeret, & perire atque ex populo suo eradicari vellet: sic non minus Baptismi contemptus cum gravissimo peccato ac periculo amittendæ salutis pariter est conjunctus. Quin eo periculosior est baptisimi, quàm circumcisionis contemptus, quod ille usurpatu facilior est, & promissiones longè luculentiores, verbis clarioribus expressas exhibet, & duraturus est ad mundi finem extremum. Quæ omnia fere in circumcissione aliter habent. Sufficiat autem, quod utroque, in Baptismo & Antitypo ejusdem, nimirum Circumcissione, par necessitas occurrat, ut sine gravissimo peccato & formidine amittendi regni cœlestis omitti aut negligi nequeat.

xix. Necessitas igitur mediæ, cui necessitas præcepti sociata est, suscipiendi necessitatem secum vehit. Quod enim Deus medium esse voluit ad ingrediendum regnum cœlestis necessarium, id ut nos observemus, præcepit. Et quod tantopere necessarium est, parum interest, à quocunque administretur, nec minus est baptisimus, dummodo substantialia observentur, nec irritus aut pseudobaptisimus est pronuntiandus, si conferatur per linguam & manum femine, quàm si ordinarius ecclesiæ minister eo munere fungatur: Sicut Verbum Evangelii de gratuita remissione peccatorum homini in periculo mortis constituto per mulierem, aut quemvis laicum annunciatum, non desinit esse Verbum DEI, quàm cum per publicum præconem, cui ecclesiasticum munus est demandatum, denunciatur. Veritas enim Verbi prædicati à ministro ejusque vocatione non pendet, sed unice ab auctore verbum suum instituyente, eique vim & efficaciam largiente. Atque ita veritas quoque baptisimi non à persona ad publicum ministerium vocata, sed solius DEI auctoritate pendet.

xx. Unde quid de Calvinistarum, Baptisimum laicorum, præcipuè verò mulierum, nullum pronunciantium, & iterandum censent-

consentium sententia statuendum sit, facile liquet. Cham. lib. v. de Bapt. cap. xiv. num. viii. *Nos docemus, Baptismi conferendi penes eos duntaxat jus esse, qui publicum munus gerunt in Ecclesia. Itaq; collati a quocunque, cujus præter privatam nulla persona sit, nullam vim esse, id est, Sacramentum nullum esse, sed temerariam ludificationem, nullo modo tolerandam in Ecclesia.* Equidem nos quoque docemus, jus baptismum conferendi ordinariè penes eos esse, quibus ecclesiasticum munus est demandatum: extraordinariè verò etiam penes alios ei muneri non destinatos: Licere enim cuicunque privato in casu necessitatis ægroto absolutionem denunciare, imò non licere tantum, sed debere Christianum quemcunque necessariis dotibus instructum, periclitanti fratri id munus præstare; Nec baptismi vim à ministro, sed Deo auctore pendere. Perniciosum igitur esse dogma, in Ecclesia nullo modo tolerandum, quod Baptismi veritatem a vocatione suspendit, & conscientias hominum in horrendas fluctuationes, & tandem abominandum desperationis barathrum præcipitat, cum dubitare & sollicitè quærere incipiunt, an ab ejusmodi hominibus baptisati sint, qui legitimè ad ministerium ecclesiasticum vocati, & quorum ministerium coram Deo ratum habeatur.

xxi. Imprimis verò Calvinii & Bezzæ impietas, à Diabolo sine dubio inspirata, observanda & modis omnibus execranda est, qui baptismum à Diabolo administratum, firmum & ratum esse jubent: mulierum verò crassam superstitionem, stultam & temere susceptam actionem, quin & adulterinum baptismum pronunciant. Calvinus Epist. ad Læli. Socin. *Jam nihil mea refert, sitne homo Lucianicus qui baptizat, sitne Diabolus. Tantum enim respicienda est institutio & continuus usus, qui à Christi mandato, tanquam ex fonte fluxit.* Beza part. ii. quæst. cXLIV. *Si fieri posset, ut vel Sathan ipse sederet in Cathedra ministerii, & legitimè Christi baptismum administraret, verus is esset Christi baptismus. Ut qui à ministri neq; scientia, neq; conscientia pendeat.* Fatetur uterque, baptismi vim & efficaciam nec à ministri scientia nec alia qualitate, sed à Christi institutione pendere, hanc unicè respiciendam esse, cum de baptismi veritate quæritur, nec adeò indagandum,

dum, sitne homo Lucianicus qui baptizat, aut Diabolus ipse, dummodo Christi mandato & institutioni satisfaciat. Quo non obscure indicant, se Diaboli baptismum baptismo mulierum & laicorum longè anteferre, & forte malle se ab ipso Diabolo, quàm à privato Christiano, sed ordinaria vocatione destituito, ut ut Christi membro, vel pia femina, quæ ipsa quoque est pars Ecclesiæ & hæres vitæ æternæ, baptismum suscipere. Digni profectò, qui in perpetuum Diaboli consortium adsciscantur, cuius baptismum tanti faciunt. Nos Diabolum capitalem & ἀνωδον Christianorum hostem judicamus, contra quem foedus in Baptismo inimus, eique & omnibus operibus ejus renunciamus, & si Cathedram conscenderet atque Verbum DEI annunciare, vel Baptismum administrare auderet, cum Christo, Domino nostro diceremus: *Tace & obmutescere.*

xxii. Tria verò præcipuè sunt, quæ nobis opponunt, qui mulieres à baptismo arcent, nec quenquam alium, nisi ordinarium Ecclesiæ ministrum ministrando baptismo adhibendum censent, quæ Alting. Syll. Contröv. p. 149. adducit, quorum primum hoc est: *Cui docendi in Ecclesia potestas non est, eidem quoque non est potestas baptizandi. Mulieribus non est docendi in Ecclesia potestas. Ergo nec baptizandi. Utraque propositio addit clara est ex scriptura. Major, quia prædicationem Evangelij atq; administrationem Baptismi individuo nexu copulavit Christus Matth. 28. 19. Et ratio evidens est, quia ejus est obsignare gratiam Baptismo, qui eam præconio Evangelij promulgat. Minor 1. Cor. 14. 34. 35. 1. Tim. 2. 12.* Cui respondemus: Sicut potestas Evangelium ordinariè & in publico Ecclesiæ coetu annunciandi mulieribus collata non est, ita nec potestas publicè & ordinariè extra casum necessitatis baptizandi. Atque ita concedimus totum, Quod autem ab illis nullo modo, ne quidem privatim, & extra ordinem & in casu necessitatis id fieri possit, negamus. Quin si eo statu & in casu necessitatis, ubi ministri copia haberi nequeat, id faciant, tantùm abest, ut reprehendendæ sint, ut potius laudem mereantur, si liberis aliisque domesticis vel ægrotantibus docendis vel solatio erigendis operam impendant. Apostolus verò loquitur de publicis

cis cœtibus, quibus viri docti intersint, ubi mulieribus publice docendi partibus meritò interdicitur.

XXIII. *Alterum: In ministerium ecclesiasticum citre, imò contra vocationem DEI involare, reiç, externæ salutem æternam affingere, gravissima sunt peccata. Mulieres baptismum necessitatis & festinationis, Noth-und Jach-Zausse / ut vocant, administrantes, & involant in ministerium ecclesiasticum, quia non vocatae baptizant, sicuti modò demonstratum, & rei externæ salutem æternam affingunt: quia actum de infante putant, si aquæ baptismum mors preveniat, ignorantes, salutem infantum ab electionis fœderisç, gratia pendere, Ergo. Verum nec hoc pacto quicquam contra expressum DEI mandatum agitur, nec mulieres omni vocatione destituuntur, cum munus illud in casu necessitatis in se suscipiunt. Non tantùm enim generali vocatione, quæ Christiani omnes, qui sunt regale sacerdotium, polleat, sed etiam speciali gaudent, quæ in casu necessitatis moribundo infanti succurrere jubentur, non aliter, ac mulieres nonnullæ V. T. grassante Angelo Domini & Antiocho, circumcisionem liberis suis administrarunt. Quo jure igitur, quaque auctoritate illæ infantes suos circumciderunt, eodem, nec multùm dispari jure auctoritateque hæc baptismum eo statu administrant. Quod verò rei externæ salutis æternæ tribuitur, id Deo volente & jubente fit, qui baptismum nos salvos facere, & per baptismum nos regenerari & salvari docet: Nec id mirum aut absurdum videri cuiquam debet: Nam omnis res corporea, si per se spectetur, seorsim à mandato divino naturâ suâ indifferens est, nec quicquam tam sanctum est in celebratione Sacramentorum, quod in aliis actionibus hominum, si quatenus corporeum est, spectetur, non usurpetur: Nam & edimus & bibimus quotidie extra cœnam, & sæpe nos lavamus valetudinis & oblectationis, aut necessitatis causa, quæ ipsa tamen ad salutem æternam procurandam nihil faciunt. At ubi præceptum & institutum DEI additur, ibi demum tum necessitas, tum efficacia accedit, quo cessante res ad ingenium suum redit, & indifferens atque virtute suâ cassâ evadit. Quod verò de necessitate baptismi ad salutem hominum efficiendam, item de fœdere DEI, quo infantes Christi-*

lianorum, etiam ante susceptum baptismum, contineantur, additur, supra discussa sunt: Id saltem inde patet, cur infantibus baptismum necessarium esse negent, adeoque nullo nisi ordinario ministro administrando eodem potestatem facere nolint, quod jam ante sint in foedere DEI, unde parum referre dicunt, sive baptizentur, sive minus.

xx.v. *Tertium illud est: Qui Baptismus ab haeretico primum introductus, & in conciliis antiquorum patrum damnatus est, is revocandus non est in usum Ecclesiae. Baptismus mulierum & introductus primum fuit à Marcione haeretico, & in Concilio Carthaginensi jam olim damnatus est. Ergo. De Marcione Epiph. in Panar. haeres. XLII. conqueritur, quod permittat mulieribus, ut baptismum dent: Verum nec Marcion primus fuit, qui consuetudinem hanc baptizandi à mulieribus usurpatam introduxit: Nam Tertull. lib. de Bapt. veluti de jure inveterato & jamdudum introducto scribit: Laicis baptizandi jus esse, ac baptismum ab omnibus exerceri posse: Nec Epiphanius id reprehendit, quod Marcion mulieres in casu necessitatis, & deficientibus Ecclesiae ministris, & intra privatos parietes baptismum administrare permiserit, sed id vituperat, quod mulieres promiscue hanc potestatem sibi raperent, aut sibi ab aliis ultrò imponi paterentur, quam temeritatem ludibrium vocat: Apud ipsos omnia sunt ludibrio plena, & nihil aliud, cum etiam mysteria coram his, qui instituuntur atq; in sacris perficere audeant. Quod scilicet mulieres viris praesentibus, etiam profanis, quibus haec mysteria spectare nefas erat, sacerdotum partes sibi arrogare, & baptismum quibusvis impertire audent. De Concilio Carthagin. IV. res facilis est: Siquidem habetur in eo Canon centesimus hic: *Mulier baptizare non praesumat. Qui verò intelligendus est de statu ordinario, nulla necessitate, aut periculo urgente, & ministris legitimè ad id deputatis praesentibus. Quod ex Canone praecedente xcix. patet, qui ita sonat: Mulier, quamvis docta & pia, viros in conventu docere non praesumat.* Sicut igitur muliere publicè & in coetu virorum ordinariè Verbum DEI annunciare non debent, ita nec baptizare. Unde Gratian. Can. Mulier. de Consecr. Dist. IV. Lomb. lib. IV. Dist. VI. Franc. Sylv. in Addit.*

Addit. ad Caranzam addunt, *nisi necessitate cogente, vel, intellige extra casum necessitatis, vel etiam presentibus clericis, ac aliis ritus baptizandi peritis.* Et ita res omnino se habet.

xxv. Esto igitur jam caput conclusum, & illud fixum ac ratum, ordinariè neminem, nisi ordinarios Ecclesiæ ministros, ad officium docendi & baptizandi separatos, munus illud exercere debere, extra ordinem verò & cœtum publicum posse alios, etiam pias feminas, ut docendi & prædicandi, ita etiam baptizandi ministerium sustinere, præsertim necessitate sic exigente.

SECTIO IV.

De

De Materia Baptismi.

I. Materia Baptismi, sicut aliorum Sacramentorum omnium, duplex est, terrena una & altera cœlestis. Terrena sine dubio est aqua, eaq̄ naturalis, simplex, elementaris, qualis in fluviis, stagnis, mari, fontibus reperitur, & corporis ablutioni convenit. Quod patet 1. ex dictis Christi & Apostolorum. Christi habetur Joh. iii. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c.* Apostoli Eph. v. 26. *Christus mundat Ecclesiam suam lavacro aquæ.* Ubi ab aqua, tanquam substantiali ejus parte, baptismum *ἀγρευ τῆ ὕδατος* appellat. 2. ex verbis institutionis, in quibus gentes omnes baptizari jubentur: *βαπτίζου* autem propriè significat aquâ immergere seu aspergere, unde lutiones Israelitarum in V. T. fieri solitæ *βαπτισμοί* vocantur Hebr. ix. 10. & Pharisei sua habebant superstitiosa lavacra Marc. vii. 4. 8. Luc. xi. 30. 3. Christi exemplo, qui aqua Jordanis baptizari voluit, quo factò aquas omnes ad salutarem Baptismi usum consecravit Matth. iii. 16. Nemo autem ipso sapientior fuerit, quod convenientiorem materiam excogitare, sed nec melior, quod meliorem ac præstantiorem aquam, quam ipse adhibuit, usurpare velit, qui sola aqua simplici & naturali contentus fuit. 4. Ex praxi Johannis & Apostolorum, quorum ille primus omnium baptismum divinitus & immediatè acceptum, sola aquâ Jordanis administravit Matth. iii. 11. Marc. i. 8. Luc. iii. 16. Joh. i. 26. cap. iii. 23. Hi verò itidem non nisi aqua

E 3

bapti-

baptizarunt Act. viii. 36. cap. x. 47. Quos etiam s. Antiquiores Ecclesiæ Doctores, inde ab Apostolorum temporibus, semper secuti sunt, qua de re August, Tract. xv. & lxxx. in Joh & lib. de Catechis. rudib. cap. iiii. Ambr. l. i. de init. cap. iv. aliique videantur.

ii. Et circa hanc materiam inter omnes, qui Christianorum nomine hodiè appellari solent, & baptismum admittunt, convenit, quod singulari DEI providentia factum autumat Cham, lib. v. de Bapt. cap. ii. *qui in tanto corruptionum acervo sue hoc gratiæ pignus primum, conservatum voluit, ut ne prorsus periisse videretur ex orbe Christianismi nomen.*

iii. Cumque aqua, utpote materia, ad baptismi substantiam pertineat, non licet eam cum alio elemento vel liquore permutare, sive hoc fiat ab uno alterove ministro, sive tota Ecclesia. Neque enim Deus ulli hominum generi hanc facultatem concessit, ut liceat ei id, quod Christus baptismi auctor, circa essentialia instituit, mutare, & aliud in ejus locum surrogare. Quod ab ipso ordinatum est, ei rigidè inhærendum: quod verò ejus mandato, ordinatione & promissione destituitur, id Sacramenti rationem non habet. Deinde si in potestate hominum esset mutare materiam baptismi, etiam liberum foret, nomen & invocationem Trinitatis conjungere cum quolibet elemento, verbo Dei non expresso, etiam cum brodio, jusculo carniū, aut lotio, sit venia verbo! licebit quoque ministro abrogare Sacramenta vetera & instituere nova. Cum enim materia seu aqua sit altera pars essentialis baptismi à Christo instituta, usurpata & consecrata, sequitur, mutatâ parte essentiali mutari ipsam essentiam & baptismum destrui. At nemo hominum, ne quidem tota Ecclesia, potest abrogare vetus & instituere novum medium acquirendæ æternæ salutis proportionatum, nisi qui bonum illud supernaturale per tale medium largiri potest: quæ potestas soli Deo competit; unde nec à viris Θεοπροβουσις, Prophetis aut Apostolis tale quid unquam excogitatum, aut præscriptum fuit. Et si nulla alia gravior causa suppeteret, curâ mutatione sit abstinendum, propter dubitationes ac tentationes, quas conscientis infirmorum nunquam non Diabolus
sugge-

suggerere solet, id faciendum foret, qui secum ita cogitant, se non vera & naturali aqua, sed alio liquore, quàm qui in verbo Dei præscriptus, & à Christo ipso in hunc usum consecratus est, neque ullam promissionem annexam habet, tinctum, unde promptè concludent, se verè ac legitimè baptizatos non esse.

iv. Mirum igitur nonnemini videri poterat, quid Bezae in mentem venerit, ut Epistolâ ad Thom. Tiliam scriberet: *Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum adificatione non possit nec debeat, ego certè quovis alio liquore non minus ritè, quàm aquâ baptizarem.* Quæ sententia etsi fortè privata, & solius Bezae, & ex incogitantia profecta videri possit, reperiuntur tamen qui defensum eant, inter quos Massonius part. iv. Anatom. cap. xii. primum meritò locum, alterum Wendelinus meretur, quorum hic Exercit. lxxxvi. Bezam ita excusat, loqui scilicet in casu deficientis aquæ, & questionem esse, *Utrum, aquâ deficiente, præstet, baptismum infanti planè non conferre, an aquæ loco, liquorem alium fluentem, qui nempe ad usum lotionis adhiberi queat, assumere eoque baptizare?* In hoc casu sentire Bezam, præstare alium liquorem adhibere, quàm Baptismum infanti prorsus negare: *Si ante pronunciatam à Beza sententiam, pergit, questio hæc Gerhardo proposita fuisset & tranquillari conscientias suas responsione Theologica religiosi viri petiissent, nescio, an aliam ipse laturus fuisset sententiam, stante præsertim hypothesis, de regeneratione, perpetuo baptismi in omnibus baptizatis infantibus effectu.* Equidem nulla necessitas tanta est, aut excogitari potest, qua liceat substantialia baptismi, aut id, quod Christus instituit, præcepit, & strictissimè observari voluit, mutare, quemadmodum quidem in casu necessitatis ministrum mutare licet: ille enim essentiam Sacramenti non ingreditur, sed pertinet ad causam efficientem, tanquam instrumentum. Potius igitur omittendus prorsus foret baptismus, quàm circa essentialia quicquam mutandum, aut alio liquore aut materia, quàm aquâ administrandus. Nec de infantis salute prorsus desperandum fuerit: nec enim privatio, sed contemptus damnat, & Deus ipsi de alio medio prospicere poterat, quo fidem ac regenerationem in eo efficret.

v. Solent autem Reformati aliam adhuc materiam ei iungere, quam Synops. Leyd. Disp. xlii. thes. xvi. his verbis exprimit: *Materia externa, seu signum hic, ut in omnibus Sacramentis, est duplex, nempe substantiale & rituale. Substantiale omnium consensu est aqua, &c. Et thes. xviii. Signum rituale seu ceremoniale in hoc Sacramento est baptizatio seu lotio in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, sicut Christus expressè mandavit Matth. 28. & Marc. 16. Unde & lavacrum aquæ in Verbo, Eph. 5. 26. & lavacrum regenerationis, Tit. 3. 5. & depositio sordium corporis ab Apostolo Petro per metonymiam effecti dicitur, 1. Pet. 2. 29.* Hæc illi, nec destituuntur suis rationibus, quarum primam à Christi mandato petunt, qui baptismationem seu applicationem aquæ ad corpus baptizandi præceperit, sine cuius interventu Sacramentum baptismi perfici nequeat. Deinde ex appellatione lavacri, quæ lotionem vel ablutio- nem significat: talis autem fieri nequeat, si aqua corpus non tangit, sed in vase contineatur. Quibus denique res ipsa addi potest: Quia enim baptismus non est res permanens, sed in usu seu actione transitoria posita, ideò in re permanente seu aqua immota consistere nequit. Et si omninò quis aquæ quietæ verba illa adhiberet & diceret: Ego te baptizo, nihil prorsus efficeret. Verum enim verò ablutio illa, seu applicatio aquæ ad corpus baptizandi non ad materiam, sed formam potius huius Sacramenti pertinet, quod inde patet, quia natura & forma Sacramentorum omnium in actione consistit, quæ est res transiens: materia verò tam proxima, quàm remota debet esse res permanens: affusio ergo non ad materiam, sed formam propriè pertinet. Et si omninò ad materiam referre velimus, ut intelligatur aqua in usu, seu affusione & aspersione considerata, affusio tamen ipsa non materia, sed conditio tantùm foret, seu requisitum ad materiam applicandam necessarium, quia aqua in vase contenta ad baptismum nihil operatur. Ad rationes pro contraria sententia adductas facilis est responsio, eas omninò rectè sese habere, si in se considerentur, Christum nempe baptismationem præcepisse, & sine ea baptismum nullum esse: Apostolos quoque nomen baptismi imposuisse, quod lotionem significat, sed in applicatione non concludere id, quo intendebant, ablutioem videlicet esse

Baptismi



Baptismi materiam. Neque enim sequitur, quod Christus instituit, & sine cuius interventu aliquid perfici nequit, aut si ablutio corporis est necessaria, & aqua effusa opus est, id rei alicujus materiam esse, & in ea ablutione materiam consistere. Cur enim non possit esse forma, conditio aut simile quid? Verba autem illa, Ego te baptizo, aquae applicari nequeunt, quia Baptismus aquae non est institutus, nec aqua est baptizanda, nec aquae dici potest: ego te baptizo. Et si maximè dici posset, ego te baptizo, subjectum tantum foret, non materia ipsa.

VI. Dari autem præter materiam terrenam aliam adhuc, quæ coelestis vocatur, ex inductione omnium Sacramentorum, indubitato talium, tam V. quam N. T. probatur, in quibus apprehenditur, singula constare elemento visibili seu terreno & invisibili coelesti. Sicut itaque in circumcisione non tantum est præputium cum sanguinis effusione recisum, verum etiam res spiritualis, sanguis Christi typicus, in agno paschali agnus & corpus Christi typicum, in Eucharistia panis & vinum tanquam res terrena, item corpus & sanguis Christi, quoad substantiam suam præsens, res coelestis: ita in Baptismo utramque materiam dari necessum est.

VII. Quanam verò illa pars sit, quæ nomine rei coelestis in Baptismo veniat, non convenit inter omnes. Nec tamen libet nunc discrepantes opiniones recensere. Potius erit, ut nostram, quæ communis est nostrorum Theologorum, adducamus & explicemus. Dicimus igitur materiam coelestem esse totam SS. Trinitatem, & singulari modo & per peculiarem appropriationem ipsum Spiritum sanctum. Quorum utrumque facile probatur.

VIII. Ac primum quidem de SS. Trinitate ex verbis institutionis Matth. xxviii. 19. ubi jubemur baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Phrases autem illæ ἐν ὀνόματι, εἰς τὸ ὄνομα, & διὰ τὸ ὄνομα, seu in nomine, notant primò quidem causam efficientem, instituentem & præcipientem principalem, ut Baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus S. idem sit, ac mandato, jussu & auctoritate Patris, Filii & Sp. S. quemadmodum Exod. v. 23. Moses loquebatur ad Pharaonem in nomine DEI. Et Act. iv. 7. 10. 12. aliquoties. Item Marc. xvi. 17. in nomine meo dæmonia eji-

F

cient.

cient. Deinde verò applicationem & exhibitionem ejus rei, in cujus nomine baptizamur. Cum enim nomen DEI sit ipse DEUS, & Psal. XLVIII. II. dicitur, *Secundum nomen tuum Deus, sic laus tua, usq; ad fines terra.* II. Par. XIV. II. *Tibi confidimus, & in nomine tuo venimus contra multitudinem istam:* Hinc baptizare in nomine DEI est Deum ipsum baptizatis conferre, & presentem sistere, ut per aquam, cum qua vi institutionis sacramentaliter unitur, homini communicetur. Quod etiam ex Apostoli explicatione patet Gal. III. 27. ubi asserit, nos in Baptismo Christum induere, hoc est, ipsum accipere, & eidem quasi incorporari, per participationem ipsius substantiæ. Item I. Cor. VI. II. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini JESU.* Rom. VI. 3. 4. *Quicumq; baptizati sumus in Christum JESUM, in mortem ejus baptizati sumus. Sepulti sumus unâ cum illo per baptismum in mortem, ut sicut ille excitatus est ex mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ubi Apostolus tam arcte nos Christo insertos ait per baptismum, ut & cum eo mortuos dicat & resuscitandos.

IX. Altera pars, quod scilicet per peculiarem influxum Spiritus sanctus sit materia cœlestis, itidem probatur I. ex dicto Christi Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.* Quo loco aqua naturalis, tanquam materia terrena per particulam copulativam conjungitur cum Spiritu sancto, tanquam cum materia cœlesti: Neque enim idonea ratio afferri potest, quare præpositio *ex* conjuncta cum aqua denotet materiam, sed in eadem propositione juncta cum Spiritu non notet materiam. Quin potius ita colligimus: Quemadmodum renasci ex aqua, denotat materiam baptismi, ita eodem loco, ordine, tempore eademque propositione renasci ex Spiritu, notat materiam baptismi. Et sicut renasci ex aqua est notio causæ materialis, ita renasci ex Spiritu eadem significatione capiendum est. II. Idem etiam ex dicto Apostoli I. Cor. VI. II. constat: *Abluti estis, sanctificati & justificati estis per nomen Domini JESU, & per Spiritum DEI nostri.* Si nomen Domini JESU materia cœlestis est, quo abluimur in baptismo & sanctificamur, etiam Spiritus sanctus talis materia fuerit. III. His & illud addatur Tit. III. 5. 6. *Salvos nos*

nos

nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per JESUM Christum.

x. Etsi vero opera Trinitatis ad extra sint indivisa, & omnes tres personæ ex æquo ad Baptismum, tam ratione efficientis, quam materiæ cælestis concurrant, nihil tamen obstat, quo minus dicatur, Spiritum sanctum peculiari ratione & per appropriationem concurrere, idque per novum influxum, & communicationem substantiæ suæ, quo modo in aliis actionibus suis non est præsens & concurrat. Nam modi præsentia variant, ut patet ex dictis describentibus generalem ejus præsentiam, Psal. cxxxix. 12. item specialem Joh. xiv. 23. & tandem specialiore, quo peculiariter dicitur mittendus & venturus ad Apostolos, ut eos in omnem veritatem deducat: unde si alio modo est apud Apostolos, alio modo apud cæteros fideles, utrobique autem per substantiam, alio modo quoque potest præsens esse in baptismo. Et quemadmodum creatio omnibus quidem personis communis est, peculiari tamen ratione appropriatur patri, quod ille in isthoc opere se maximè patefecit: quemadmodum item incarnatio opus est totius Trinitatis, sed singulari tamen ratione Filio DEI competit, & quidem non tantum ratione patefactionis aut productionis humanæ naturæ, sed quod se peculiariter eidem communicavit: ita baptismus quoque quoad institutionem & materiam cœlestem est opus commune Trinitatis, & tamen Spiritus sanctus peculiari ratione, tanquam sanctificator, influit in Baptismum, quod dicta supra adducta luculenter ostendunt

xi. Peculiaris autem influxus Spiritus sancti in Baptismo non in sola præsentia, sed etiam operatione consistit, nec solâ tamen operatione & ενεργεῖα, sed novo quodam modo præsentia & applicatione naturæ ac substantiæ suæ, unde & pignus & arrha dicitur nostræ salutis: item σφραγὶς & signaculum, quo non tantum efficitur, sed etiam obsignatur gratia regenerationis. Et quod Paulus Apostolus de Deo pronunciat II. Cor. I. 21. 22. *Qui nos unxit DEUS est, qui etiam obsignavit nos, deditque arrham Spiritus in cordibus nostris*, id præcipuè in Baptismo præstat.

xii. Ex Calvinianis, qui propius ad nostram sententiam accedere

dere videri volunt, sanguinem Christi materiam cœlestem constituunt, quo nos à sordibus animæ, hoc est, à peccatis abluamur, & regenerationis reddamur participes. Ita enim Mares. Syst. Loc. XIV. thes. XLII. *Materia interna est ipse Christus, nos suo tum sanguine, tum Spiritu abluens & mundans, & quoad peccati reatum per justificationem, & quoad ejus maculam per sanctificationem.* Longe verò apertius & magis sincerè suam sociorumq; sententiam Beza in Coll. Momp. p. 437. expressit, his verbis: *Baptismus non solum externo elemento & Verbo, sed etiam re significata videlicet sanguine Christi constat, qui mundat nos ab omnibus peccatis. Qui sanguis aqua Baptismi representatur, cujus rei nos usus externe actionis baptisimi admonet, de quo Paulus Rom. 6. Nam per immersionem in aquam baptisimi mortificatio veteris Adami & insertio in mortem Christi, per emersionem autem resurrectio spiritualis representatur, quæ à morte peccati resurgimus ad justitiam & vitæ novitatem, quæ omnia nobis sanguis JESU Christi præstat. Hæc per actionem baptismis representantur, & baptizato offeruntur.* Hæc Beza, qui quidem de sanguine Christi, ejusq; efficacia splendidè rhetoricatur, sed ita tamen, ut simplicioribus tantum fucum faciat: Nec enim veram & realem intelligit præsentiam sanguinis Christi, sed nudam repræsentationem ejus: nec veram & realem per sanguinem Christi emundationem, sed solam significationem. Et qui possit sanguis Christi quod substantiam in Sacramento præfens esse, quæ tanto abest, quanto cœlum altissimum ab inferioribus partibus terræ? Qui tantas res efficere, hoc est, nos à peccatis mundare, qui divinarum proprietatum & operationum non est capax? Et quia sanguis nobis repræsentat & significat tantum emundationem, revera eam non efficit.

XIII. Equidem nos quoque ultrò largimur, sanguinem Christi in Baptismo adesse, idque tribus modis, tum ratione *substantie*, quo modo Christus mediator totus quoque concurrat, nam officium suum exercet non absens, sed præfens: tum ratione *meriti*, quia quicquid salutare ad nos redundat, sive ex Sacramentis, sive aliis Dei actionibus nobiscum institutis, id omne Christi merito seu sanguini accepto ferendum est: tum denique ratione *effica-*

efficacia, quia in baptismo per Christi sanguinem, à peccatis mundamur. Quod autem idem sanguis per se sumptus sit altera pars essentialis, sive materia coelestis baptismi, verisimile vix videtur, idq; ideò quia nec in verbis institutionis, nec alibi in Scriptura determinatur. Verba enim institutionis propriam sedem & fundamentum continent, ex quo omnia ea, quæ ad sacramentorum essentiam pertinent, addiscenda sunt: unde quod iis aut totâ sacra Scriptura, ubi de Sacramento hoc agitur, non determinatur, ad Sacramenti essentiam non pertinet. Dicitur quidem 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*. Hebr. IX. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum*; Verum ibi de tali ablutione & purgatione non agitur, quæ in baptismo fit, multò minus ibi ad materiam coelestem restringitur: nam abluimur seu purgamur à peccatis non tantum in baptismo, sed etiam in prædicatione verbi, absolutione, & ubicunque fide Christum intuemur, etsi substantiam ejus physicam non percipiamus. Et licet in Baptismo quoque sanguine Christi abluamur, id tamen sit ejus merito, non tanquam per partem essentialem, uti in Cœna sanguinem ejus bibimus. Et si omninò nonnulli hanc materiam constituunt, sanguinem Christi à reliquis corporis partibus non distinguunt, sed intelligunt totum Christum incarnatum, qui cum Patre & Spiritu sancto materia coelestis rectissimè dicitur.

SECTIO V.

De

Forma Baptismi.

I. Formam Baptismi geminam constituimus, unam verba-lem & alteram realem, quarum illa in recitatione Verborum, Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti: hæc in affusione aquæ, vel immersione in eandem consistit. Utraque tam necessaria est, ut prorsus omitti nequeat. Si enim vel utrumque, vel saltem alterutrum horum omittatur, hoc est, si vel aqua non affundatur, vel verba illa non recitentur, nullus prorsus erit baptismus. Non enim sufficit pronunciare verba illa, Ego te baptizo, & simul invocare nomen Patris, Filii & Spiritus sancti super baptizandum;

F 3

sed

sed necessum insuper est, ut aqua affundatur, vel homo in eam immergatur: Et vice versa, non satis est, baptizandum in aquam immergere, vel aquâ perfundere, sed requiritur præterea, ut fiat in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti cum pronuntiatione verborum, quæ Christus ipse in institutione adhiberi voluit.

II. Hanc formam ex Calvinianis Chamier quoque nobiscum amplectitur & tuetur, cum lib. v. de Bapt. cap. II. thes. v. ita scribit: *Formam non aliam admittimus, quàm quæ designatur ista Christi institutione, jubentis baptizare in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Itaque, quanquam nulla sit in ipso verborum sono vis, sed tota in rebus significatis: tamen quia à solo Christo res habemus discere, consultissimum putamus etiam, quàm proximè fieri poterit, ejus etiam sonum retinere, & verba numerata.* Hæc ille de forma verbali, cui etiam mox realem, immersionem seu asperersionem jungit. Quibus, si rectè explicentur, nihil additum, nihil demptum cupimus.

III. Verùm eâ in parte longissimè à fociis discedit, qui plerumque formam in pulcherrimâ ἀναλογία & ἔσει signi ad rem signatam, & mutua unius ad alterum relatione collocant, quarum illa in comparatione & similitudine effectuum, hæc in ordinatione signi ad rem signatam consistat, ex qua unio sacramentalis oritur, quæ de re videatur Synops. Leyd. Disp. XLIII. thes. XXII. Quæ tamen Disp. XLIV. thes. XXIII. ita loquitur: *Forma Baptismi ὄλωε considerati consistit in unione illa sacramentali, quæ est inter signum & rem signatam.* Quæ verò non tantum Chamiero, sed sibi ipsi quoque apertè contradicit. Si enim analogia forma est Baptismi, & ejus effectus unio sacramentalis, quod prior sententia affirmabat, forma baptismi in unione consistere nequit, quia effectus non potest esse sua causa: & rursus, si unio forma est Sacramenti, quæ est posterioris assertio; non potest esse effectus analogiæ, quæ formæ vicem sustinet: Idem enim non potest esse sui ipsius forma & effectus, eodem respectu.

IV. Verùm dimicent hic inter se Cadmæi fratres, quantum volunt, nunquam equidem à nobis impetrabant, ut analogiam istam admittamus, aut si aliqua omninò locum haberet, formam
Bapti-

Baptismi constituamus. Analogia autem, quam confingunt, ista est: *Ut aqua abluat sordes corporis 1. Pet. 3. 21. Ita sanguis & Spiritus Christi abluunt sordes animæ. Ut baptizandi asperguntur aquâ, ita asperguntur sanguine & Spiritu Christi ad ablutionem peccatorum.* Ita Alting. Ursinus, Paræus & alii omnes. Hæc analogia autem in Scriptura nusquam reperitur, sed eidem potius manifestè adversatur. Petrus enim negat, Baptismum esse depositionem sordium carnis, & aqua baptismi non est simpliciter aqua elementaris, nec eum in finem adhibetur, ut ipsa vel abluat sordes corporis, vel ablutionem hanc significet, sed ad hunc usum & finem destinata est, ut sit lavacrum regenerationis. Per verbum enim Dei instituentis hanc supernaturalem sanctificandi vim accepit, ut licet ratione substantiæ sit elementaris, spiritualis tamen evadat, & efficax, quam virtutem ipsi Spiritus sanctus mediante benedictione conciliat. Deinde aqua hæc non solum corpus attingit, sed ad ipsam animam usque penetrat, & in ea regenerationem efficit. Denique, si propter significationem interioris mundationis adhiberetur, totum corpus confricare & aquâ abluere oporteret, ut sordes ejus detergerentur, nec sola aspersio vel affusio aquæ sufficere poterat.

v. Negamus autem analogiam hanc veram hujus Sacramenti formam esse: Nec enim in verbis institutionis, nec usquam alibi in Scriptura exprimitur, & institutioni apertè refragatur, & apertè falsa est, & multa absurda secum vehit: nam sic nullum erit Sacramentorum V. & N. T. discrimen, & Sacramenta V. T. longè illustriora & clariora Sacramentis N. T. fuerint, quippe quæ ibi passionem Christi & sanguinis effusionem clarius repræsentarint. Tandem tot Sacramenta constitui possent, quot sunt typi & signa externa, res cœlestes significantia.

SECTIO VI.

De

Fine & effectu Baptismi.

I. De effectu hujus Sacramenti supra quædam dicta sunt, & id simul ostensum, Calvinianos Baptismo omnem vim & efficaciam

causam abjudicare, nec quicquam ipsi aliud nisi nudam & meram significationem relinquere. Quamquam enim de præbitione & obfignatione multa speciosè magis, quam verè jactitent, illam tamen præbitionem & obfignationem in nullis aliis, nisi totis electis, nec per baptismum, sed sine eo, nec eo tempore, quo baptizantur, sed vel ante, vel diu post perceptum baptismum fieri contendunt.

II. Extant autem longe clarissima Scripturarum dicta, Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest ingredi in regnum.* Eph. V. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ per verbum.* Tit. III. 5. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti.* 1. Pet. III. 21. *Baptismus salvos nos reddit.* Quibus & similibus dictis aliis apertè id, quod nos volumus, docetur, nimirum baptismum esse efficacissimum Dei organon & medium, per quod verè & efficaciter regeneratio efficitur. Si enim ex aqua baptismi renascimur, per lavacrum aquæ mundamur à peccatis, per lavacrum regenerationis & renovationis salvamur, utique baptismus non erit nudum signum significans & obfignans gratiam regenerationis, sed instar organi & instrumenti verè efficiens mundationem à peccatis & salutem æternam.

III. Hanc veritatem in Scripturis monstratam, & ex ea per firmam & immotam consequentiam derivatam tueri ne desinamus, adversus eos, qui clara & perspicua verba dubia & ambigua reddunt, iisque peregrinum sensum affingunt, nec unquam in tota Scriptura finem & effectum Baptismi propriis & simpliciter, ut sonant, acceptis verbis describi contendunt.




05 A 954

ULB Halle

3

003 761 584




1077

64







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



ITATIO
ENNIS
DE

ISMUS

ontra
inianos,

ESIDE

o, *Amplissimo atq; Excellentissimo*

NE MEISNERO,

VVittenb. Prof. Publ. Con-

andæ Facultatis Theologiæ

rcem Electoralem Præposito

viffimo,

no ac *Promotore honoratissimo,*

suspiciendo,

da LICENTIA

dum DOCTORIS

heologia,

ndum proposita

HTLERO, Grimm-Misnico,

STORE & vicinarum Superin-

ndente.

EBITUR

horis matutinis & vespertinis

ENBERGÆ,

STIANI SCHRÖDTERI.

cl. l. c. LXXIX.